8
7 D
11

Tomo Unico

M=A:h

XIII F 23

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MAGISTRO
SACRI PALATII
APOSTOLICI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MAGISTRO
SACRI PALATII APOSTOLICI

LIBRI DUO

Quorum alter originem, prærogativas, ac munia,
alter eorum ſeriem continet, qui eo munere
ad hanc uſque diem donati fuere

AD REVERENDISSIMUM PATREM

FR. ANTONINUM BREMOND

ORDINIS PRÆDICATORUM
GENERALEM MAGISTRUM

AUCTORE JOSEPHO CATALANO
ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS
PRESBYTERO.

V.L



ROMÆ MDCCLI.
TYPIS ANTONII FULGONI APUD S. EUSTACHIUM.
SUPERIORUM FACULTATE.

Ex Libris Josephi Mariæ Zucchi Can. Mag.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

FR. ANTONINO BREMOND

ORDINIS PRÆDICATORUM GENERALI MAGISTRO.

JOSEPHUS CATALANUS
SALUTEM

QUum vix intellexerim , Reverendiſſime Pater , Pontificem Maximum BENEDICTUM XIV. *feliciter Regnantem rei litterariæ fautorem eximium optaſſe , ut Syllabus Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici a Viro Cl. P. Fr. Vincentio Maria Fontana Or-*

Digitized by Google

Ordinis Tui alumno jam olim editus, iterum ederetur in lucem cum illorum additionibus, qui in eo Syllabo deſiderantur, ego, qui ſummam mibi facio gloriam, tanti Pontificis deſiderio pro viribus obſequi, laborem addens laboribus, manum Operi admovi, ſummaque celeritate conatus ſum novum, uberioremque aggredi de Magiſtro Sacri Palatii Tractatum, Auctoremque prædicti Syllabi Virum cæteroqui doctum in multis, Te Duce, corrigere, ſeriemque Magiſtrorum ad præſentem uſque præſtantiſſimum Virum P. Fr. Joſephum Auguſtinum Orſi a laudato Regnante Pontifice, tota litteraria Republica plaudente, Sacri Palatii Magiſtrum renunciatum ſupplere. Cum autem unum ſit ex præcipuis Juris præceptum, jus ſuum cuique tribuere, *hinc eſt, quod editurus hoc novum Opus*, De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici, *inſcriptum, non alii quam Tibi, qui ad regimen inclyti Ordinis Prædicatorum communi omnium voto evectus, S. Patriachæ* DOMINICI *ejuſdem Ordinis Inſtitutoris locum tenes, debui dedicare. Is enim primus omnium eſt, qui ea ampliſſima dignitate, ut Tu non ſemel in Tuo Dominicano Bullario omnigena eruditione referto, & numeris omnibus abſolutiſſimo adnotaſti, donatus ab* Honorio III. *Pontifice fuit, cui ad hunc uſque diem præclariſſimi Ordinis Tui Alumni ſerie non interrupta ſucceſſerunt. Præterea quum illud quoque Jus doceat, ea quæ in fundo alieno noſcuntur, ad dominum fundi pertinere, jam & hac ratione merito Tibi hic Liber debetur, cum omnia pene, quæ in eo ſcripſi, ex ipſo tuo eximio*

Ope-

Opere deſumſerim . His accedit conſtans mei erga Te obſequium , Tuaque inſignis benevolentia , qua & me ſemper complexus es , & Opera mea commendaſti . Accipe itaque gratanti animo , ut ſoles , hoc novum Opus , quo varia , atque inſignia Magiſtrorum Sacri Palatii munia , & privilegia , ac geſta illuſtria continentur , enarranturque . Gratulor autem Tibi , gratulor inclyto Ordini Prædicatorum , Romanæ Eccleſiæ gratulor , quod vel ex una ejuſdem Ordinis portione , ex quo Magiſtri Sacri Palatii aſſumuntur , jam multi S. R. E. Cardinales , Patriarchæ , Legati Apoſtolicæ Sedis , Metropolitæ , Epiſcopique complures prodierint , ut de aliis ſileam , qui Sacras oblatas Inſulas recuſarunt , munerique Magiſterii Sacri Palatii immortui , ſcriptis , ſapientia , & pietate fere omnes per totam Eccleſiam celeberrimi extiterunt . Ne Te demum ſummis gravibuſque Ordinis Tui , & Eccleſiæ negotiis occupatum diutius morer , finem facio , unumque adjiciam , quod olim Paulus V. Pontifex Maximus Prædeceſſori Tuo Generali Ordinis Prædicatorum Magiſtro Patri Sicco dixit : Soſpitet te Deus , & cui præfectus es , Familiam ſervet , & augeat , ut ſit impoſterum , ſicut hactenus fuit , Eccleſiæ loco dexteræ , & validi præſidii.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.
F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

* ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** *

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

APPROBATIO I.

DUo mſs. Libri, *De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici*, nuper a celebri Patre Joſepho Catalano, aliis licet graviſſimis curis, præſertim editionis Commentariorum in Cæremoniale Cappellæ Papalis, diſtento accuratiſſime concinnati, facta juſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi, qui nunc ampliſſimum illum gradum ingenti ſapientum, ac bonorum plauſu tenet, diligenti diſcuſſione, perquam digni mihi viſi ſunt, qui typis permittantur & publicentur; quum non ſolum contineant nihil, quod offenſioni eſſe poſſit orthodoxis, piiſque lectoribus; ſed, quod utiliſſimum arbitror, rapere valeant eorum animos in uberiorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dilectionem, ac venerationem. Hunc a me ſaltem ex lectione eruditisſimi Operis fructum, ne alios revelem, perceptum eſſe profiteor. Nam quum percurrens exquiſitam, quæ eo texitur, hiſtoriam originis, & munerum præſtantisſimi Magiſterii deprehenderem firmisſimum in hoc paratum fuiſſe a Romanis Pontificibus munimentum tuendæ puritati Catholicorum dogmatum, & diſciplinæ morum: quumque ſiſtens in Catalogo, qui eodem exhibetur, Magiſtrorum, adverterem fuiſſe iſtos nonniſi e Sacro Prædicatorum Ordine ſe-

le-

lectos, & fere ſingulos inſigni pietate, peritiaque divinarum ſcentiarum admirabili claruiſſe, non ſemel has in voces prorumpere coactus quodammodo ſum: Ut vere Mater noſtra Romana Eccleſia de commiſsi ſibi Chriſtiani populi Fide, ac probitate ſollicita eſt, quæ nova ſemper ad earumdem perennitatem ſanciendam excogitat, inſtituta! Ut vere ſapiens, vere ex alto edocta, quæ talium curam, executionemque potiſsimum ei concredidit Ordini religioſiſsimo, cujus laus ſumma, & ſingularis fuit, eritque, Domino largiente, ad extremam uſque diem, intra cancellos ſanioris doctrinæ conſtantiſsime ſtetiſſe, & ſtrenue ſanctiſsimis Apoſtolicæ Sedis Decretis, juribuſque decertaſſe! Teſtor hæc Romæ Kal. Januar. 1751.

Petrus Morettus inſignis Baſilicæ Sanctæ Mariæ trans Tyberim Canonicus.

APPROBATIO II.

JUſſu Reverendiſsimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici cum voluptate legi, atque relegi Opus in duos Libros diſtributum de Dignitate, Officio, juribus, atque privilegiis Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici, cum ſerie continua Chronologicæ digeſta eorum Virorum, qui ab initio, uſque ad hæc noſtra tempora hoc munere dignè functi ſunt, elucubratum a Clariſsimo Viro P. Joſepho Catalani Presbytero Oratorii S. Hieronymi Charitatis. In hoc Opere non ſolum nihil offendi Catholicæ Fidei, aut bonis moribus quovis modo diſſonum, verum Authoris doctrinæ, ac eruditionis amplitudinem, in plurimis aliis ejuſdem optimis, Eccleſiæque utiliſsimis Operibus Orbi ſumme commendatam, ſemper magis, magiſque clareſcere admiratus ſum. Quare hoc Opus Reipublicæ Litterariæ utiliſsimum, atque luce publica prorſus digniſsimum cenſeo. Romæ ad S. Mariam ſuper Minervam VII. Kalendas Martii MDCCLI.

Fr. Emericus Langenvvalter Ordinis Prædicatorum, Provincialis Daciæ, & Aſſiſtens Germaniæ.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
UTRIUSQUE LIBRI
LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Prima Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri origo a S. Dominico Ordinis Prædicatorum Inſtitutore repetenda I. II. Quæ cauſa inſtituendi ejus Officii III. Continuatio penes ejuſdem S. Patriarchæ Alumnos ſerie nunquam interrupta IV. Idque etiam a pſeudopontificibus ſervatum V. VI. Fontanæ lapſus VII. VIII. Legitimi Papæ ambiguitas tempore Schiſmatis Avenionenſis IX.

CAP. II.

Refelluntur Auctores, qui continuatam Dominicanorum ſeriem in Officio Magiſtri Sacri Palatii convellere niſi ſunt I. II. Cauſa eorum erroris, quod eſſent olim Lectores Sacri Palatii, & quinam ii forent III. S. Thomas Aquinas, & B. Ambroſius Sanſedonius Lectores, & Scholarum inſtauratores IV. V. Jam & ante eoſdem B. Albertus Magnus ſacras Litteras Romæ docuerat VI. Dicti iccirco a nonnullis Magiſtri Sacri Palatii VII. Lectores Sacri Palatii a quibus inſtituti VIII. Ex variis Ordinibus aſſumti IX. Varii eorum gradus X. & ſeqq.

CAP. III.

De variis Magiſtri Sacri Palatii muniis, ac primum de Officio Concionatoris Sacri Palatii, ſeu Familiæ Papæ I. Donati aliquando ipſi Concionatoris Apoſtolici Officio II. Hoc munus hodie conceſſum Ordini Capuccinorum III.

CAP. IV.

De alio Magiſtri Sacri Palatii Officio examinandi ſcilicet orationes coram Summo Pontifice habendas, eaſque arguendi etiam præſente Pontifice, qui aliter ſermones recitarent I. Bulla de ea re Calliſti III. Papæ, in qua inter alia edicitur, ut is cui commiſſum fuerit in Ponti-

tificia Capella concionari, non poſſit ſine licentia ipſius Magiſtri alium ſubrogare II.

C A P. V.

De facultate Magiſtri Sacri Palatii, ubi contingeret, eum a Curia abeſſe, ſubſtituendi de licentia Papæ ſuo loco alium I. Ejus rei exemplum II. De Socio ejus in munere adjutore, qui tamen, abſente Magiſtro Sacri Palatii, non gaudet illius prærogativis III. IV. De ejuſdem Magiſtri Vicariis in Provincia Romana, & eorum auctoritate ex Summi Pontificis Decreto V.

C A P. VI.

De privilegiis Magiſtri Sacri Palatii conferendi gradus, & inſignia Doctoratus I. Ejus facultas etiam quoad Religioſos de licentia Papæ II. Poteſtas illius in Collegio Theologorum Urbis III.

C A P. VII.

De juriſdictione & Officio Magiſtri Sacri Palatii circa impreſſionem Librorum ex generalis Concilii V. Lateranenſis Decreto I. Decretum de eadem re Pauli V. Papæ, II. & Urbani VIII. III. ac BENEDICTI XIV. Regnantis Pontificis, IV. Quæ hodierna praxis circa reviſionem Librorum, & obligationem donandi aliqua eorum exemplaria Magiſtro Sacri Palatii V.

C A P. VIII.

De facultate Magiſtri Sacri Palatii in prohibendis libris impreſſis I. II. & in concedenda lectione librorum prohibitorum III. & IV.

C A P. IX.

De Conſultoris Officio, quod habet Magiſter Sacri Palatii in Sacris Congregationibus Sanctæ Inquiſitionis I. II. Indicis, Indulgentiarum, Rituum, & de Officio Examinatoris, quod habet in Congregatione Examinis Epiſcoporum, & in illa, quæ fit coram Cardinali Vicario pro concurſu Parochorum Urbis III.

C A P. X.

De loco Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici in Capella Pontificia, & in equeſtri pompa I. Una cum Sacræ Rotæ Au-

ditoribus aſſiſtit idem Magiſter Rotæ Conclavis II. Reputatus ſemper veluti unus ex ipſis Auditoribus III. De ejus habitatione in Palatio Apoſtolico, & Titulo Reverendiſſimi, quo vel a Cardinalibus donari ſolet.

C A P. XI.

De Beneficiis Eccleſiaſticis Sacri Palatii Magiſtro donatis, ac de Præbenda Theologali eidem Magiſtro in Baſilica Vaticana a S. Pio Papa V. collata, ut S. Thomæ doctrinam, quam ab Eccleſia Catholica receptam, & aliis magis tutam & ſecuram dicit, doceat, ac de aliis emolumentis loco ipſius Præbendæ a ſequioribus Summis Pontificibus eidem Sacri Palatii Magiſtro aſſignatis I. & II.

C A P. XII.

De juriſdictione Magiſtri Sacri Palatii in Eccleſiam Sanctæ Barbaræ Bibliopolarum Urbis I.

C A P. XIII.

Recenſentur duo Diplomata, alterum Eugenii Papæ IV. alterum ſequiorum Pontificum, quo novus Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter inſtitui ſolet I. & II.

C A P. XIV.

De teſtandi facultate conceſſa aliquando a Summo Pontifice Magiſtris Sacri Palatii I. & II.

C A P. XV.

De Funere Magiſtri Sacri Palatii, ac primum de ejus cadaveris lotione, atque delatione ad Eccleſiam I. De exequiis, ac oratione funebri, & aliis ritibus II. & III.

L I B E R S E C U N D U S.

C A P. I.

De S. Patriarcha Dominico Ordinis Prædicatorum Inſtitutore, & primo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

C A P. II.

De F. Bartholomæo de Bragantiis, poſtea Epiſcopo Nimoſienſi, & deinde Vicentino.

C A P. III.

De Anibaldo Anibaldenſi poſtea S. R. E. Cardinali.

CAP.

CAP. IV.

De Fr. Guillelmo Bonderiſbinenſi.

CAP. V.

De F. Petro Angellelio, poſtea Lucæ Patriæ ſuæ Epiſcopo.

CAP. VI.

De Fr. Raymundo de Corſavino.

CAP. VII.

De Fr. Hugone de Billon, poſtea S. R. E. Cardinali.

CAP. VIII.

De F. Guillelmo Petri de Godino, poſtea S. R. E. Cardinali.

CAP. IX.

De Fr. Durando de Sancto Porciano, poſtea vero Epiſcopo Anicienſi, & deinde Meldenſi.

CAP. X.

De Fr. Guillelmo de Lauduno, poſtea vero Viennenſi Allobrogum Metropolita.

CAP. XI.

De Fr. Raymundo Bequin, poſtea Patriarcha Hieroſolym.

CAP. XII.

De Fr. Dominico Grenier, poſtea Epiſcopo Appamienſi.

CAP. XIII.

De Fr. Armando de Bellovifu.

CAP. XIV.

De Fr. Petro de Pireto.

CAP. XV.

De Fr. Raymundo Durandi.

CAP. XVI.

De Fr. Joanne de Molendinis, poſtea S. R. E. Cardinali.

CAP. XVII.

De F. Guillelmo Sudre, poſtea vero S. R. E. Cardinali.

CAP. XVIII.

De Fr. Guillelmo Romani.

CAP. XIX.

De Fr. Nicolao de Sancto Saturnino.

CAP. XX.

De Fr. Petro Tiperino, poſtea vero Epiſcopo Marſicano.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XXI.
De Fr. Hugolino de Camerino.
C A P. XXII.
De Fr. Joanne de Caſa nova, poſtea Epiſcopo, & deinde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali.
C A P. XXIII.
De Fr. Andrea de Piſis, poſtea vero Epiſcopo Sutrino.
C A P. XXIV.
De Fr. Joanne de Conſtantinopoli.
C A P. XXV.
De F. Joanne de Turrecremata, poſtea S. R. E. Cardinali.
C A P. XXVI.
De F. Henrico Caltyſen, poſtea Archiepiſcopo Nidroſienſi.
C A P. XXVII.
De Fr. Jacobo Ægidii.
C A P. XXVIII.
De F. Leonardo Manſueto, poſtea vero Generali ſui Ordinis Magiſtro.
C A P. XXIX.
De F. Salvo Caſſetta, poſtea Magiſtro Ordinis ſui Generali.
C A P. XXX.
De Fr. Marco Maroldo, poſtea Archiepiſcopo Rhegienſi.
C A P. XXXI.
De Fr. Paulo de Monelia, poſtea vero Epiſcopo Chienſi.
C A P. XXXII.
De Fr. Joanne Annio Viterbienſi.
C A P. XXXIII.
De Fratre Joanne de Ferraria.
C A P. XXXIV.
De Fratre Silveſtro de Prierio.
C A P. XXXV.
De Fr. Thoma Badia, poſtea S. R. E. Cardinali.
C A P. XXXVI.
De F. Bartholomæo Spina.
C A P. XXXVII.
De Fr. Petro Martyre Brixienſi.

Digitized by Google

C A P. XXXVIII.
De Fr. Ægidio Fuſcarario, poſtea Epiſcopo Mutinenſi.
C A P. XXXIX.
De F. Hieronymo Muzzarello, poſtea Compſano Archiepiſ.
C A P. XL.
De Fratre Petro Paulo Giannerino.
C A P. XLI.
De Fratre Daniele de Crema.
C A P. XLII.
De Fratre Thoma Manriquez.
C A P. XLIII.
De F. Paulo Conſtabili, poſtea Generali Ordinis Magiſtro.
C A P. XLIV.
De F. Sixto Fabri, poſtea Generali Magiſtro Ordinis.
C A P. XLV.
De Fratre Thoma Zobbio.
C A P. XLVI.
De F. Vincentio Bonardo, poſtea Epiſcopo Hieracenſi.
C A P. XLVII.
De Fratre Bartholomæo de Miranda.
C A P. XLVIII.
De Fratre Joanne Baptiſta Lancio.
C A P. XLIX.
De F. Joanne Maria Guanzello, ſeu de Guanzellis, poſtea Polymnianenſi in Apulia Epiſcopo.
C A P. L.
De F. Auguſtino Galamino, poſtea Generali Magiſtro Ordinis, & deinde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali.
C A P. LI.
De F. Ludovico Iſtella.
C A P. LII.
De Fr. Hyacintho Petronio, poſtea Epiſcopo Melphitenſi.
C A P. LIII.
De F. Nicolao Ridolfi, poſtea Generali Magiſtro Ordinis,
C A P. LIV.
De F. Nicolao Riccardi.

Digitized by Google

C A P. LV.
De Fr. Vincentio Maculano, poſtea S. R. E. Cardinale.
C A P. LVI.
De Fr. Gregorio Donato.
C A P. LVII.
De F. Reginaldo Lucarino poſtea Civitatis Plebis Epiſcopo.
C A P. LVIII.
De Fr. Michaele Mazarini, poſtea Archiepiſcopo Aquenſi, & deinde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali.
C A P. LIX.
De Fratre Vincentio Candido.
C A P. LX.
De Fratre Raymundo Capiſucco.
C A P. LXI.
De F. Hyacintho Libelli poſtea Archiepiſcopo Avenionenſi.
C A P. LXII.
De F. Raymundo Capiſucco, iterum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, & deinde S. R. E. Cardinali.
C A P. LXIII.
De Fr. Dominico Maria Puteobonello.
C A P. LXIV.
De F. Thoma Maria Ferrari poſtea S. R. E. Cardinali.
C A P. LXV.
De Fr. Paulino de Bernardinis.
C A P. LXVI.
De Fr. Gregorio Selleri, poſtea S. R. E. Cardinali.
C A P. LXVII.
De Fr. Joanne Benedicto Zuanelli.
C A P. LXVIII.
De Fratre Nicolao Aloyſio Ridolfio.
C A P. LXIX.
De Reverendiſſimo Patre Fr. Joſepho Auguſtino Orſi, qui nunc Magiſterio Sacri Palatii fungitur, electo a Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. *quem nobis Deus incolumem ſervet quamdiutiſſime.*

L

LIBER I.

DE MAGISTRO SACRI PALATII APOSTOLICI

CAP. I.

Prima Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri origo a S. Dominico Ordinis Prædicatorum Inſtitutore repetenda I. II. Quæ cauſa inſtituendi ejus Officii III. Continuatio penes ejuſdem S. Patriarchæ Alumnos ſerie nunquam interrupta IV. Idque etiam a pſeudopontificibus ſervatum V. VI. Fontanæ lapſus VII. VIII. Legitimi Papæ ambiguitas tempore Schiſmatis Avenionenſis IX.

I. PRimus omnium hac ampliſſima dignitate donatus haud dubie fuit S. Patriarcha Dominicus clariſſimi Ordinis Fratrum Prædicatorum Parens, cui ad hanc uſque diem non interrupta ſerie ſucceſſerunt ejuſdem Ordinis Alumni, uti evidentiſſime oſtendit eruditus Vincentius Fontana ſuo peculiari Libro, qui inſcriptus eſt: *Syllabus Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici*; probatque auctoritate S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, qui Parte III. Hiſtoriæ, Titulo XXII. Cap. II. ita ſcribit: *Ad ſapientiam Scripturarum, & ſacræ Theologiæ totum ſe applicans Beatus Dominicus, amore ejus noctes ducebat inſomnes, ut ſacra ejus teſtatur hiſtoria; idque hauſit avide, quod poſtea effudit abunde, Magiſterque factus in ſacra Theologia, primuſque Magiſter Sacri Palatii, quæ poſtea dignitas Ordini Prædicatorum fuit indulta, legit in Curia Romana, & in aliis locis plures Libros Paginæ ſacræ, diſputans frequenter contra hæreticos, & prædicans, & exhortans cunctos fideles, & maxime per Ordinem ſuum, cui ſoli collatus eſt titulus Prædicatorum.*

 II. S. Do-

II. S. Dominicum fuiſſe primum Sacri Palatii Magiſtrum, non obſcure conjicitur ex celebri teſtimonio Joannis de Columna, qui Ordinem Prædicatorum profeſſus ſub Gregorio Papa IX. fuit deinde ab Alexandro IV. creatus Archiepiſcopus Meſſanenſis anno MCCLV. Is quidem in ſuo ms. Libro, *De Viris illuſtribus*, cujus meminit eruditiſſimus Jacobus Echard Tomo II. Scriptorum prædicti Ordinis pag. 996. ſic inter alia de S. Dominico ſcribit: *Cum autem eſſet Vir Dei Romæ*, annis nempe Chriſti MCCXVI. XVII. XVIII. & XX. *multi ad ejus ſanam doctrinam convolabant. Legebat enim tunc in publicis Scholis Paulum, ad cujus Scholas confluebat non modica turba Scholarium, & etiam Prælatorum, & Magiſter ab omnibus vocabatur.* Tum ita mox: *Scripſit autem tunc ſuper omnes Epiſtolas Pauli, cujus ſcripta multa ſcientia, & devotione plena adhuc inveniuntur.* Itaque ex paucis hic relatis ab Auctore ſuppari, imo teſte oculato conſtat, S. Dominicum Romæ cum ingenti auditorum confluxu, & plauſu in publicis Scholis ſacras Litteras docuiſſe; quodque occaſionem dedit inſtituendi Magiſtri Sacri Palatii, ſiquidem ea ætate Scholæ in Sacro Papæ Palatio habebantur. Conſtat quoque & illud, ipſum S. Dominicum in S. Pauli Epiſtolas omnes ſcripſiſſe, eaque ſcripta ſervata fuiſſe toto Sæculo XIII.

III. Qua occaſione inſtitutum hoc munus fuerit, docet Malvenda in Annalibus Ordinis ſui Prædicatorum ad annum MCCXVIII. teſtimonio fultus ex Flaminio hunc in modum deſumto: *Sanctæ Sabinæ Monaſterium vicinum erat Pontificis Maximi ædibus. Quare cum B. Dominicus cerneret, quotidie occupatis cum Pontifice Cardinalibus, eorum Miniſtros in aula variis deambulationibus, ac nugis tempus terere, indoluit, & Pontificem adiit, ac dixit, turpe, & damnoſum eſſe, tempus a tanta multitudine incaſſum teri, ſibique videri utile, futurum, ſi tantiſper, dum Cardinales cum eo in negotiis Eccleſiæ occupantur, quiſpiam doctus aliquid publice interpretetur. Placuit admodum Honorio*, Papæ ſcilicet III. ejus nominis, *conſilium, & ipſi, qui conſuluerat, nam magnus in ſacris Litteris Vir*

Digitized by Google

Vir erat, id negotium dedit, quod libenter ſuſcepit ille, & quotidie Pauli Apoſtoli Magno Auditorum conſeſſu, & attentione interpretari Epiſtolas cœpit. Atque adeo res placuit, ut deinceps inſtitutum ſit, ut ex Ordine Prædicatorum ad ejuſmodi munus aliquis ſemper eligeretur, & dignitatis ille titulo, qui delectus fuiſſet, inſigniretur, Sacri Magiſter Palatii diceretur. Codex autem ille, quo uſus eſt B. Dominicus, Epiſtolarum Pauli, Toloſæ in S. Romano ſervatur. Contigiſſe hujuſmodi inſtitutionem anno Domini MCCXVIII. tradit ad ipſum annum memoratus Malvenda ſic inquiens: *Hoc eodem anno creatum S. Dominicum ab Honorio III. primum Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici, eamque præclaram functionem tunc primum in Domino cœptam, & inſtitutam, Ordini Prædicatorum poſtmodum continenter inhæſiſſe ad hanc uſque noſtram ætatem, Auctores, & certa Ordinis monumenta abunde fidem faciunt.*

IV. Præter domeſticos Ordinis Prædicatorum Scriptores, idipſum & alii teſtati ſunt, ac præ cæteris Auguſtinus Patricius Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfectus ſub Pio Papa II. & tribus aliis ejus ſucceſſoribus, in ſuo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cæremoniali, quod anno MDXVI. edidit Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis, quod nos ab innumeris pene erroribus, quibus ſcatebat, in duos Tomos diſtributum, & perpetuis Commentariis auctum publica luce donavimus, Lib. III. Cap. XXIII. quod inſcriptum eſt, *De Magiſtro Sacri Palatii*, ita ad rem inquit: *Magiſter Sacri Palatii conſuevit eſſe ex Ordine Prædicatorum*. Conſueviſſe ipſos Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtros *ſemper eligi ex Ordine Prædicatorum*, teſtatus eſt quidem S. Pius V. Pontifex Maximus in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *In eminenti*, edita IV. Kalendas Auguſti anno MDLXX. quam legere eſt in Tomo V. Bullarii Fratrum Prædicatorum, quod ſummo labore ac diligentia ordinavit, doctiſque Notis illuſtravit præſtantiſſimus ejuſdem Ordinis Alumnus F. Antoninus Bremond, nunc Generalis Magiſter. Cæterum quod noſtra ad hæc uſque, tempora a ſua prima inſtitutione Magiſtri Sacri Palatii ſemper eligi ex Prædicatorum

Digitized by Google

Ordine conſueverint, demonſtrabimus & nos infra Lib. II. ubi per varia Capita Catalogum ipſorum Magiſtrorum una cum eorum elogiis referemus.

V. Unum reſtat, ut nempe oſtendamus, etiam pſeudopontifices ſuo ævo conſueviſſe Magiſtros Sacri Palatii ex Ordine Prædicatorum eligere, ejuſque rei exemplum habemus in Clemente VII. pſeudopapa, qui penes ſe habuit in eo munere Fratrem Nicolaum de S. Saturnino Gallum, creatum jam pridem Magiſtrum Sacri Palatii a Gregorio Papa XI. circa annum MCCCLXXVI. qui Schiſmate in Eccleſia, Urbano VI. legitimo Pontifice, ſuborto, in Galliam a Cardinalibus Clementis partes ſequentibus directus fuit, ut Regem, Pariſinamque Univerſitatem in ſuam ſententiam evocaret; quod cum præſtitiſſet, ab eodem Clemente Cardinalis renunciatus fuit anno MCCCLXXVIII. Titulo Sancti Martini in montibus, ut notat eruditiſſimus Bremond Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum in Notis ad Conſtitutionem Martini Papæ V. datam die v. menſis Maji anno MCDXVIII. pag. 542. ubi hic eximius Auctor Oldoinum corrigit, qui apud Ciaconium in Vitis Pontificum, & Cardinalium Tomo II. in Clemente VII. antipapa pag. 676. qui ipſum pſeudocardinalem Titulo S. Sixti fuiſſe inquit.

VI. Evecto ad Cardinalatum Nicolao, idem pſeudopontifex Clemens VII. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum creavit Joannem de Novocaſtro Dominicanum, & conſobrinum ſuum, quem in ſecunda pſeudocardinalium creatione celebrata anno MCDLXXXII. Cardinalem renunciavit Titulo SS. Quatuor Coronatorum, in ejus autem locum Sancium a Porta Aragonenſem ejuſdem Dominicanæ Familiæ alumnum ſuffecit, ut teſtatur Fontana in ſuo Syllabo Magiſtrorum Sacri Palati, pag. 180. quem tamen refellit Echard Tomo 1. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MCCCLXXX. pag. 682. ubi de Fratre Anonymo agit; quem ait, ab ipſo Clemente VII. ſic in ſua obedientia Avenionenſi dicto ſuffectum fuiſſe in munere Magiſtri Sacri Palatii memorato Nicolao de S. Saturnino a menſe Decembri anni MCCCLXXVIII. Cardinali creato, & Auctorem eſſe

ſe Libri, cui Titulus: *Tractatus Magiſtri Palatii reſponſivus ad rationes quorundam Theologorum contra Dominum Clementem, & pro B.* ideſt Bartholomæo Prignano, ſeu potius Urbano Papa VI. *factas ordinatus Avenioni de menſe Maji anno MCCCLXXX.*

VII. Labitur itaque Fontana, cum ait, eum qui Nicolao de S. Saturnino ſucceſſit in Magiſtri Sacri Palatii munere, fuiſſe Joannem de Novocaſtro poſtea Cardinalem, quem alias Ordinis Prædicatorum fuiſſe aſſerit. Teſtatur enim Echard loco citato, iſtum Joannem non ſolum Ordinis Prædicatorum non fuiſſe ſodalem, ſed jam anno Domini MCCCLXXI. Epiſcopum fuiſſe Nirvernenſem, tum vero anno MCCCLXXIV. ad Tullenſem in Lotharingia fuiſſe deinde translatum, & anno demum MCCCLXXXIII. ad Cardinalatum evectum. Ex quibus invicte ſequitur, eum non eſſe, qui anno MCCCLXXVIII. vel ſequenti, memorato Nicolao de S. Saturnino ſuffectus fuit in munere Magiſtri Sacri Palatii, quod nuſquam legitur Epiſcopis datum. Porro ſuſpicatur Echard, Anonymum Sacri Palatii Magiſtrum, Tractatus relati Auctorem anni MCCCLXXX. fuiſſe Gallum quendam ex Dominicana Familia ſacræ Theologiæ Magiſtrum, quales plures tum Avenione morabantur. Dominicanæ Familiæ fuiſſe vel ex eo patet, quod Magiſterium Sacri Palatii nonniſi dictæ Familiæ ſolitum eſſet conferri.

VIII. Iterum errat Fontana, cum Sanctum Vincentium Ferrerium in munere Magiſtri Sacri Palatii Sancio, ſeu Sanctio, ut alii ſcribunt, a Porta poſtponit, cum certo ei præiverit a Benedicto XIII. ſeu Petro de Luna inſtitutus anno MCCCXCIV. circiter, qui deinde abdicato officio anno MCCCXCVIII. Miſſionem Apoſtolicam per varia Regna aggreſſus eſt, ut docet Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum anno MCDXIX. pag. 763. cum prædictus Sancius ante annum MCDIII. quo juxta Diagum ex monumentis Provinciæ ſuæ certis Priorem agebat Cæſarauguſtæ, ad Magiſterium Sacri Palatii promoveri non potuerit, præſertim quod eum Fontana poſt duos annos carceris ad Innocentium VII. die XVII. Octobris anni MCDIV. tantum electum

ctum confugiſſe narret. Rurſus errat Fontana in anno mortis ejuſdem Sancii, quam ad annum MCDIX. refert, qui ex Diago decem annis ſupervixit, mortuus in ſuo Conventu Cæſarauguſtano, ibidemque ſepultus cum ſequenti inſcriptione: *Hic jacet R. Magiſter Sancius Porta, Magiſter Sacri Palatii, & Prædicator egregius. Obiit anno Domini MCDXXIX. die xix. menſis Novembris*. Quicquid autem de his ſit, illud plane conſtat, quod ſupra admonuimus, etiam pſeudopontifices præſertim Avenione ſedentes, non alios creaſſe Magiſtros Sacri Palatii in ſuo pſeudopontificatu, quam ipſos Fratres Ordinis Prædicatorum, quamvis certam eorum ſeriem nemo hactenus retulerit, imo nec quis facile deprehendere poſſit, ob Schiſma ſcilicet ejus ævi, quo omnia turbata erant.

IX. Porro tanta fuit tunc temporis in veri ac legitimi Pontificis cognitione ambiguitas, ut S. Vincentius Ferrerius Prædicatorum Ordinis eximium decus, ad ipſius Benedicti XIII. pſeudopontificis partes declinaverit, a quo tamen, ut dictum eſt, ante Sancium de Porta Sacri Palatii Magiſter creatus fuit. Pluribus annis eidem Benedicto inſervivit S. Vincentius, ejuſque pa tes ſequutus eſt; at unione Eccleſiæ in Conſtantienſi Concilio facta, cui procurandæ plurimum adlaboravit, ut diximus Tomo IV. Conciliorum in prædicti Concilii narratione, Martino V. legitimo Summo Romano Pontifici in ipſo Concilio Canonice electo obedientiam præſtitit, atque adverſus pſeudopapam Benedictum XIII. ſeu Petrum de Luna in privatis, publiciſque colloquiis, atque concionibus declamavit, ejus in pſeudopontificatu pertinaciam increpando. Obdormivit poſtmodum in Domino Vincentius Venetiæ in Britannia minori anno MCDXIX. innumeriſque miraculis clarus ante & poſt mortem patratis a Calliſto III. Pontifice Maximo in Sanctorum album relatus fuit. Sane ſumma eſt hodieque erga ipſum S. Thaumaturgum Fidelium devotio, ut teſtantur innumeræ pene tabellæ argenteæ in Altaribus ad illius honorem erectis appenſæ, & populorum cuncurſus, qui ejuſdem S. Thaumaturgi Sacellum frequentant.

CAP. II.

Digitized by Google

CAP. II.

Refelluntur Auctores, qui continuatam Dominicanorum ſeriem in Officio Magiſtri Sacri Palatii convellere niſi ſunt I. II. Cauſa eorum erroris, quod eſſent olim Lectores Sacri Palatii, & quinam ii forent III. S. Thomas Aquinas, & B. Ambroſius Sanſedonius Lectores, & Scholarum inſtauratores IV. V. Jam & ante eoſdem B. Albertus Magnus ſacras Litteras Romæ docuerat VI. Dicti iccirco a nonnullis Magiſtri Sacri Palatii VII Lectores Sacri Palatii a quibus inſtituti VIII. Ex variis Ordinibus aſſumti IX. Varii eorum gradus X. & ſeqq.

I. TEſte Fontana in ſuo Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici Syllabo pag. 87. quidam Carmelitani Inſtituti ſectatores, quos incaute ſequuti ſunt Auctores Galliæ Chriſtianæ, Petrum quemdam de Bireto, ſeu Bereto Carmelitam Sacri Palatii Magiſtrum falſo vocitarunt, quem etiam ad Graſſenſem Eccleſiam promotum poſtmodum fuiſſe aſſeruerunt memorati Galliæ Chriſtianæ Scriptores Tomo II. inter Graſſenſes Epiſcopos hæc quidem de eo tantum habent: *Petrus ex Ordine Religioſo creatus Epiſcopus MCCCXLV. xxvi. Junii, ex Actis Conſiſtorialibus.* Sed inquiunt quoque mox tamen, Graſſenſem Epiſcopum Joannem electum anno MCCCXLIX. VI. Aprilis. Tum Tomo III. tradunt, Petrum ipſum de Bireto Carmelitam fuiſſe primum Sacri Palatii Magiſtrum, deinde ex Epiſcopo Graſſenſi translatum fuiſſe ad Vaſſionenſem Epiſcopatum: *Petrus de Bereto Ordinis Carmelitani Magiſter Sacri Palatii Clementi VI. a Confeſſionibus, Patria Narbonenſis, ex Epiſcopo Graſſenſi renunciatur Vaſſionen; ſedebat anno MCCCXLVIII. & MCCCL. Multa ſcripſit in Theologia &c.*

II. Galliæ Chriſtianæ Auctores in errorem profecto induxit Ludovicus Jacobus, qui in Bibliotheca Carmalitana perperam ſcripſit, Petrum ipſum de Bireto, ſeu Bereto Carmelitam, Clementi Papæ VI. a Confeſſionibus, ſacri Palatii Magiſtrum fuiſſe. At recte ſubdit laudatus Fonta-

tana. Quomodo potuit hic eſſe Magiſter Sacri Palatii, atque ad Graſſenſem Epiſcopatum aſſumi die xxvi. Junii anni mcccxlv. ſi ex Clementis VI. Pontificis Regeſtis conſtat, Raimundum Durandi Religioſum Ordinis Prædicatorum a die xxiii. Junii anni mcccxliii. uſque ad diem vii. Septembris anni mcccxlv. in Palatii Apoſtolici Magiſterio præfuiſſe? Et ſi idem Petrus Carmelita erat Magiſter Sacri Palatii, quando aſſumtus fuit ad Epiſcopatum Graſſenſem, cur de tali Magiſterio in illius commendationem Acta Conſiſtorialia nullam faciunt mentionem, prout facere ſolent in omnibus hujuſmodi Magiſtris, qui ad altiores dignitates provehuntur? Fuit quidem Petrus de Bireto Carmelita Vir doctus, qui multa ſcripſit, Clementi Papæ VI. a Confeſſionibus, atque Lector in Scholis Sacri Palatii, ex quo decepti prædicti Auctores, diſcrimen inter Sacri Palatii Lectores, & Magiſtros, ignorantes, Petrum ipſum Carmelitam, qui Lector Sacri Palatii fuerat, perperam Sacri Palatii Magiſtrum appellavere. Atque in hunc etiam errorem quidam Ordinis Minorum Scriptores inciderunt, ubi Lectores qui ex ſuo Ordine in Sacro Palatio docebant, Sacri Palatii Magiſtros & ipſi dixerunt.

III. Agit & de ipſis Lectoribus Sacri Palatii incitato Syllabo idem **Fontana, pag. 183.** & ſeqq. Conſuevit ſane Apoſtolica Sedes, quæ Magiſtra eſt veritatis in Sacro Palatio Doctores præſtantiſſimos enutrire, qui ſacras Litteras ibidem edocerent, divinaſque Scripturas doctiſſimis Commentariis illuſtrarent, iique communi nomine Sacri Palatii Lectores nuncupantur, qui tam ex ſecularibus, quam ex Religioſis Ordinibus indiſcriminatim aſſumebantur. Perſtitit diu in Urbe laudabilis hæc conſuetudo uſque ad Leonis X. Pontificis Maximi tempora, qui publico Auditorum commodo conſulturus, atque a diſputationum clamoribus Apoſtolicum Palatium liberaturus, Romanam Sapientiam in Urbis nobiliori parte conſtruxit, Doctoribuſque annua ſtipendia conſtituit, quæ Sixtus Papa V. poſtmodum auxit. Factumque eſt ex eo tempore, ut Doctores hujuſmodi non amplius Sacri Palatii, ſed Romanæ Sapien-

tiæ

Digitized by Google

tiæ Lectores nuncuparentur. Atque hæc etiam notavit eruditiſſimus Antoninus Bremond nunc Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter, Tomo III. Bullarii Dominicani in Nota II. ad Conſtitutionem XXIV. Eugenii Papæ IV. ubi ita inquit: *Lectores Sacri Palatii Apoſtolici dicebantur ii, qui Theologiam docebant in Palatio Apoſtolico. Nunc Romanæ Sapientiæ Lectores vocantur ex eo tempore, quo Leo X. auditorum commodo conſulturus, tranſtulit Scholas eum in locum, qui Sapientia Romæ nuncupatur.* Sed præ cæteris legendus eruditus Joſeph Caraſa in celebri Opere, quod inſcripſit, *De Gygmnaſio Romano ab Urbe condita ad hæc uſque tempora*, quod quidem juſſu Reverendiſſimi P. Sacri Palatii Magiſtri perlegi, illudque inveni penitiori eruditione refertum.

IV. Quicquid autem de aliis Religioſis Ordinibus ſit, fuere ex inclyto Ordine Prædicatorum quamplures, qui in Sacro Palatio divinas Litteras interpretabantur, & hi ex Lectione, quam habebant, Lectoris, vel Baccalaurei Sacri Palatii nomen conſequebantur. Teſte noſtri Jeronyminiani Oratorii Presbytero Julio Sanſedonio, poſtea Epiſcopo Groſſetano, in Vita B. Ambroſii Sanſedonii Ordinis Prædicatorum gentilis ſui, quam Romæ edidit anno Chriſti MDCXI. B. Ambroſius ipſe Sacri Palatii Univerſitatem jam pridem Friderici II. Imperatoris, ejuſque ſequacium perſequutionibus Romanæ Eccleſiæ illatis ſolutam ex Pontificio Urbani Papæ IV. Decreto reſtituit, in eaque Lector tribus annis cum ſua, & Ordinis Dominicani laude maxima docuit. Corrigendus autem alius ejus Vitæ Auctor, quæ in Actis Sanctorum legitur Tomo III. menſis Martii, pag. 181. & ſeqq. ubi Num. XXXVIII. dicitur, *Innocentium IV. audita Servi Dei Ambroſii fama, juſſiſſe B. Virum Romæ commorari, ut Theologiam legeret, & re ipſa per triennium Theologiam Romæ legiſſe*. Id enim ſtare non poteſt, niſi dicamus, Innocentium IV. ibi poſitum pro alio Pontifice, puta Urbano IV. ut ſuperius dictum eſt, aut Clemente IV. & ſane cum Innocentius IV. qui anno Chriſti MCCXLV. Lugdunum ſe receperat, non niſi anno Do-

Digitized by Google

mini MCCLI. Italiam repetierit, nec Romam eo uſque a Fredericianis infeſtatam, ſibique non liberam. niſi anno Domini MCCLIII. intrarit, paulumque moratus, Neapolim ſe contulerit, ubi anno MCCLIV. mortuus eſt, hæc tempora turbida Theologiæ in Urbe inſtaurandæ, ac reformandæ commoda non erant; quod tamen Pontificis conſilium fuiſſe dicitur, qui Ambroſium in ea docere juſſit.

V. Docuit quidem Romæ Sanſedonius Theologiam, ſed non niſi poſt annum MCCLX. ideoque ſub Urbano IV. aut Clemente IV. ejus Succeſſore, ut notat accuratus Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum ſui Ordinis ad annum MCCLXXXVI. pag. 401. & 402. Sed & Sanctus Thomas jam ante Sanſedonium Theologiam Romæ docuit, Scholaſque Urbis inſtauravit, ut probat laudatus Caraſa in ſuo citato Opere, *De Gymnaſio Romano &c.* Cap. v. Teſte Ciaconio in Vita Urbani Papæ IV. S. Thomas *Romam ab Urbano accerſitus, ſpretis dignitatibus, quæ ultro ei offerebantur, totum ſe lectioni, & ſcriptioni dedit; nam & Scholam Romæ inſtauravit, & rogatu Urbani multa conſcripſit.* Juxta ſupputationem memorati Echard in citato I. Tomo ad annum MCCLXXV. ubi de Sancto Thoma agit, pag. 272. *anno MCCLX. vivente adhuc Alexandro IV. vel MCCLXI. Urbano IV. ei ſuffecto, in Italiam reverſus, nempe S. Thomas, primum Romæ docuit, novumque ſcriptum ſuper primum Sententiarum legit a ſe compoſitum.* Tum vero mox: *Deinceps autem in illis, in quibus Summi Pontifices pro libito agebant Civitatibus, Urbeveteri, Anagniæ, Viterbii, Peruſii, & ipſe eos ſequutus, commoratus eſt, Scholam Theologicam ubique regens apud noſtros, ubique nova in rem Eccleſiæ condens, ac edens Opera.*

VI. Porro illud conſtat, jam B. Albertum Magnum ante S. Thomam, & B. Ambroſium Sanſedonium Romæ ſacras litteras docuiſſe, Alexandro IV. Summo Pontifice, ubi nempe ad Urbem venit vocatus ab ipſo Alexandro ob diſſidium inter Univerſitatem Cleri Pariſienſis, & Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorum excitatum, de quo mentionem facit Cantipratanus Lib. II. Cap. x. & fuſe loqui-

quitur Echard, ubi de S. Thoma Aquinate agit. Tunc quippe diſputationibus de eo diſſidio peractis, teſte eodem Cantipratano, *ad petitionem D. Papæ, & omnium Cardinalium, ipſe Magiſter Albertus Evangelium Joannis, & Epiſtolas Canonicas, miro & inaudito modo ſuper omnem hominem exponendo legit*. Magiſtrum Sacri Palatii ſaltem per annum egiſſe Albertum, ſcribit in ejus Vita Petrus de Pruſſia, qui etiam putat, primum fuiſſe Albertum Lectorem Sacri Palatii, & ejus occaſione eveniſſe, quod hoc munus in Prædicatorum Ordine habeatur. Sed non poſſum huic adhærere ſententiæ, cum evidentiſſime conſtet ex dictis ſuperius, S. Patriarcham Dominicum Ordinis Prædicatorum fuiſſe primum Lectorem, atque Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici, ejuſque occaſione Summos Pontifices voluiſſe, ut ipſa ampliſſima dignitate non niſi Fratres Prædicatores S. Dominici alumni donarentur.

VII. Tandem quod a prima ſua inſtitutione, & toto ſeculo XIII. munus Magiſtrorum Sacri Palatii in Scholæ Romanæ & Pontificiæ regimine, & in publica Sacræ Scripturæ expoſitione potiſſimum contineretur, hinc eſt, quod nonnulli, ac præſertim Echard Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum pag. XXI. in Indice Magiſtrorum Sacri Palatii, recenſeant Beatum Albertum Magnum ſub Alexandro Pontifice IV. annis MCCLV. & MCCLVI. tum vero poſt Guillelmum Bonderishinenſem, & Hannibaldum de Hannibaldis, Sanctum Thomam de Aquino ab anno MCCLXII. ad MCCLXVIII. & deinde B. Ambroſium Sanſedonium ab anno MCCLIX. circiter ad annum uſque MCCLXXV. Quicquid ſit, quantum fieri poteſt, ſequemur nos ſeriem illam Magiſtrorum Sacri Palatii, quam Fontana ordinavit.

VIII. Inſtituebantur Lectores Sacri Palatii a Summo Pontifice, uti conſtat ex Litteris Eugenii Papæ IV. datis anno MCDXXXII. die XXX. Maji Magiſtro F. Bartholomæo de Florentia Fratri Ordinis Prædicatorum Lectori Sacri Palatii, in quibus etiam formulam ejus inſtitutionis legimus, quæ eſt hujuſmodi: *Virtutibus pollens, & meritis, ac ſacræ Theologiæ præditus ſcientia ſingulari, prout fama*

Digitized by Google

laudabilis teſtimonio commendaris, illam in noſtro, & Apoſtolicæ Sedis conſpectu gratiam meruiſti, quod perſonam tuam paterna benevolentia proſequamur. Ut igitur percipias, quod ſuggerit noſtræ mentis affectus, te, qui ſacræ Theologiæ Profeſſor exiſtis, in Lectorem Sacri Palatii noſtri, necnon familiarem, continuum commenſalem gratioſe recipimus, ac familiarium noſtrorum continuorum commenſalium conſortio favorabiliter aggregamus. Intendentes ergo, quod per hoc, favoris Apoſtolici præſidia plenius ſortiaris, te omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, prærogativis, honoribus, & aliis gratiis, quibuſcunque Lectoribus, & familiaribus hujuſmodi domeſticis, continuis commenſalibus competentibus, de cætero effectualiter uti volumus, & gaudere. Age igitur, & ſic demum circa præfatum officium proficere ſatage, quod a nobis, & dicta Sede digne honorem, & gratiam conſequi merearis. Nulli ergo &c.

IX. Extant hæ Litteræ Tomo III. Bullarii Ordinis Prædicatorum, pag. 17. apud laudatum Scriptorem doctiſſimum Bremond, qui etiam ibidem notat, Bartholomæum iſtum de Florentia ſic a Patria nuncupari, nam alias Lapatius, ſeu Lapaccius cognominatur, ut dicemus infra Lib. II. in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *De F. Henrico Kaltyſen &c.* ubi etiam diſtinctionem notabimus Magiſtrorum Scholarum Sacri Palatii ab ipſis Sacri Palatii Magiſtris. Magiſtri enim Scholarum Sacri Palatii Apoſtolici ii dicebantur, qui Scholas illas habebant in Sacro Palatio, quæ nunc Romæ ſunt in Gymnaſio, cui a Sapientia nomen eſt. Omnium quippe Ordinum, Prædicatorum, Minorum &c. Doctores id munus obire poterant, Officio autem Magiſtri Sacri Palatii, quod deſcribitur ab Eugenio IV. in Diplomate, quod incipit, *Dudum*, datum die xxx. Octobris anno MCDXXXVII. ad Joannem de Turrecremata Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, legiturque Tomo III. Bullarii Dominicani, pag. 81. ſoli Fratres Ordines Prædicatorum ab illo munere conſtituto ad hanc uſque diem functi ſunt, ut idem Bremond notat prædicto Tomo III. in

Ap-

Digitized by Google

Appendice ad Conſtitutiones Eugenii IV. pag. 216. ubi de memorato Bartholomæo agit.

X. Ex Apoſtolico indulto ad laudati Ordinis Magiſtrum, atque Generalia Capitula, ſpectaſſe etiam ipſorum Lectorum Sacri Palatii inſtitutionem, pluribus docet memoratus Fontana pag. 185. & ſeq. Certe in Generali Avenionenſi Capitulo prædicti Ordinis anno MCDXLII. celebrato F. Matthæus de Finario Ligur ad legendum Sententias in Sacro Palatio fuit aſſignatus, & in ſequenti Capituloanni MCDXLIV. apud Divionem Frater Bartholomæus Pennades Hiſpanus eodem munere donatus fuit; & in Capitulo apud Montem Peſſulanum anni MCDLVI. idem officium demandatum tunc fuit Fratri Ludovico Vincentio Hiſpano: *Notandum eſt*, inquit Fernandez, *quod non ſolum Magiſtri Sacri Palatii aſſumebantur ſemper ex Ordine Prædicatorum, ſed etiam Lectores Sententiarum, & Sacræ Scripturæ; & iſti eligebantur ſemper in Capitulis Generalibus, ut in Capitulo Generali anni MCDXLII. Avenione celebrato electus eſt F. Matthæus de Finario Ligur Lector Sacri Palatii, & in Capitulo Generali apud Divionem MCDXLIV. F. Bartholomæus Pennades Hiſpanus, & in Capitulo Generali apud Montem Peſſulanum anno MCDLVI. F. Ludovicus Vincentius Hiſpanus. Et erant diſtincta Officia; nam Lectores non tantum e noſtra Familia aſſumebantur, & legebant, ſicut modo in Academia Romana, quam vocant Sapientiam.*

XI. Ab ipſis quoque Generalibus Ordinis Prædicatorum Magiſtris inſtitui conſueviſſe Sacri Palatii Lectores, ſequentia exempla nos docent ab eodem Fontana ex certis monumentis, & illorum Regeſtis fideliter deprompta. Sic F. Joannes de Candido Baccalaureus ex Trinacriæ Provincia ſub Sixto IV. Pontifice Maximo a Leonardo de Manſuetis Ordinis Prædicatorum Magiſtro ad legendum Sententias in Sacro Palatio fuit deputatus. Ita enim in ejuſdem Regeſto, §. *Provincia Trinacriæ*, pag. 95. legitur: *Die 5. Junii*, ſcilicet anni MCDLXXIV. *Frater Joannes de Candido Baccalaureus fuit deputatus ad legendum Sententias*

Digitized by Google

tias in Sacro Palatio pro primo anno pro gradu & forma, & completa Lectura habuit licentiam accipiendi inſignia Magiſtralia ubicumque. Rurſus ex Regeſto ejuſdem Generalis in §. *Provincia Theutoniæ*, pag. 87. Petrus Ploger anno ipſo MCDLXXIV. erat *Baccalaureus Apoſtolici Sacri Palatii de Conventu Franc forden. qui a Summo Pontifice habuit habilitationem ad Beneficia Eccleſiaſtica, habuit licentiam morandi extra Ordinem, & officiandi, & eleemoſynas recipiendi &c.* Tandem F. Joannes Auguſtini de Sancto Miniate a prædicto Generali in Baccalaureum Sacri Palatii fuit aſſignatus, uti docet illius Regeſtum in §. *Provincia Romana*, pag. 52. ſic inquiens: *F. Joannes Auguſtini de Sancto Miniate fuit inſtitutus, & aſſignatus in Baccalaureum pro forma, & gradu Magiſterii, pro ſecundo anno in Schola Sacri Palatii, cum gratiis, & libertatibus conſuetis &c.*

XII. Præter Baccalaureos ordinarios erant & in ipſo Sacro Palatio Apoſtolico extraordinarii Baccalaurei, qui ab eiſdem Magiſtris Generalibus Ordinis Prædicatorum inſtituebantur, uti liquet ex Regeſto memorati Generalis Magiſtri F. Leonardi de Manſuetis in §. *Provincia Franciæ*, pag. 29. ubi ita habetur: *Frater Joannes Clerici Conventus Brugellen. fuit inſtitutus Baccalaureus extraordinarius Univerſitatis Sacri Palatii ſub Magiſtro dicti Sacri Palatii, pro gradu &, forma Magiſterii. xvii. Junii MCDXLVII. Romæ.* Atque hic duo præſertim notanda, quorum primum eſt, fuiſſe tunc temporis in Sacro Apoſtolico Palatio Studiorum Univerſitatem, quæ deinde, uti jam ſupra adnotavimus, a Leone Papa X. tranſlata fuit in Urbis centrum, quod hodie dicitur Sapientia Romana. Alterum eſt, præfuiſſe ipſi Univerſitati, quæ in Sacro Palatio Apoſtolico erat, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum. Porro fuiſſe in ipſo Apoſtolico Palatio Lectores Biblicos Fratres Ordinis Prædicatorum, quos ejuſdem Ordinis Generales inſtituebant, addiſcimus ex memorato ſuperius Regeſto in §. *Provincia Romana*, pag. 53. ubi legitur *Frater Geminianus Laurentii de Florentia aſſignatus in Bi-*

bli-

Digitized by Google

blicum Sacri Palatii, pro gradu, & forma Magiſterii, die vii. Junii MCDLXXIV. Romæ.

XIII. Gradus in ipſa Univerſitate Sacri Palatii pro Dominicanis jam ſuſcipi ſoliti erant de licentia ſuorum Generalium Magiſtrorum; hinc enim eſt, quod in Regeſto laudati Generalis F. Leonardi de Manſuetis in §. *Provincia Saxoniæ*, pag. 226. *Magiſter Daniel Egher Conventus Uveſſalienſis habuit approbationem Lecturæ ſuæ, & Magiſterii gradum ſuſcepit in Univerſitate Sacri Palatii, & gaudere poteſt privilegiis Magiſtrorum ut verus Magiſter, nullis obſtantibus in contrarium, vii. Martii MCDLXXV.* Refert Fontana citato Libro pag. 188. & ſeq. alia id genus exempla, ac deinde concludit, ex omnibus hucuſque narratis manifeſte apparere, in Sacro Apoſtolico Palatio Univerſitatem, Scholaſque fuiſſe, in quibus Lectores, Baccalaurei ordinarii, & extraordinarii, atque Biblici docebant, graduſque Magiſterii ibidem ſuſcipiebatur per manus Magiſtri Sacri Palatii, qui in eadem Univerſitate præſidebat, ejuſque reſolutioni, & deciſioni cuncti Lectores Curiæ acquieſcebant. Cæterum Lectores ipſos, Sacri Palatii Magiſtros neutiquam fuiſſe, evidentiſſime patet, cum eiſdem temporibus, quibus prædicti Lectores in Sacro Palatio docebant, diſtincti eſſent ab ipſis Magiſtris Sacri Palatii. Similitudine igitur nominum Magiſtri, & Lectoris Sacri Palatii, Scriptores quidam decepti Sacri Palatii Lectores perperam Magiſtros Sacri Palatii appellarunt.

C A P. III.

De variis Magiſtri Sacri Palatii muniis, ac primum de Officio Concionatoris Sacri Palatii, ſeu Familiæ Papæ I. Donati aliquando ipſi Concionatoris Apoſtolici Officio II. Hoc munus hodie conceſſum Ordini Capuccinorum III.

I. FUit hæc prima Sacri Palatii Magiſtri inſtitutio, quæ, uti dictum eſt Cap. 1. hujus Operis, a S. Dominico Ordinis Prædicatorum Parente ſuam trahit originem, ut Car-

Cardinalibus cum Summo Pontifice in negotiis Eccleſiæ peragendis occupatis, familiares Papæ, & Cardinalium, ne variis deambulationibus, ac nugis tempus tererent, Magiſter ipſe Sacri Palatii aliquid utile eoſdem doceret. Hoc eſſe illius munus, jam vel olim teſtatus eſt inter alios Auguſtinus Patricius in ſuo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cæremoniali Lib. III. Cap. XXIII. ubi agens de Magiſtro Sacri Palatii, ſic inquit: *Ordinarie, quando fit Conſiſtorium, legit in Palatio publice aliquid in Theologia*. Multa ejus rei monumenta habemus quidem in eorum Dominicanorum Vitis, qui Magiſtri Sacri Palatii fuere. Sed invaluit tamen mos, cujus meminit in ſua Romanæ Curiæ Relatione Cardinalis de Luca, Parte II. Diſcurſu VII. Num. 8. ut ipſe Sacri Palatii Magiſter concionetur Familiæ Papæ *in conſuetis prædicationis temporibus*, *Adventus ſcilicet*, *&* *Quadrageſimæ*; eo ferme tempore, quo ad ipſum Pontificem, & Cardinales, alioſque Romanæ Curiæ Præſules alius Sacer Orator, qui Prædicator Apoſtolicus dicitur, conciones habet.

II. Donatos aliquando fuiſſe ipſos Magiſtros Sacri Palatii eo Prædicatoris Apoſtolici Officio, docet nos Fontana in citato Syllabo, pag. II. ubi agens de Nicolao Riccardio, qui die II. Junii anni MDCXXIX. renuciatus fuit ab Urbano Pontifice VIII. Magiſter Sacri Palatii, ſic inquit: *Apoſtolicus Prædicator poſtmodum adlectus*, ipſum ſcilicet Sacri Palatii Magiſtri Officium retinens, *coram Pontifice*, *Purpuratiſque Patribus doctiſſimas*, *ac vere Apoſtolicas Conciones habuit*. Sed vide infra Lib. II. ubi de ipſo Riccardio agentes, de ejuſdem Concionibus in Palatio Apoſtolico habitis egregium Ferdinandi Caroli elogium referemus. Ut alia vero ejus exempla omittam, functus eſt quidem & eo munere F. Thomas Maria Ferrarius, Magiſter primum Sacri Palatii, poſtea S. R. E. Cardinalis. Hic enim, ut ait Joannes Palatius Tomo IV. de Cardinalibus pag. 119. *Romam evocatus ab Innocentio XI. Magiſter Sacri Palatii*, *&* *Concionator Palatii Apoſtolici*, anno ſcilicet MDCLXXXVIII. conſtitutus fuit. Sed audiamus nunc de

hac

Digitized by Google

hac re F. Antoninum Cloche Ordinis Prædicatorum Magiſtrum Generalem, qui in Epiſtola ſua encyclica data Romæ die XXIII. Auguſti anno MDCCXVI. quam ad univerſos ſui Ordinis Fratres de Cardinalis Ferrarii obitu ſcripſit, poſtquam dixit, ipſum Ferrarium præter expectationem ſuam ab Innocentio Papa XI. Kalendis menſis Novembris anni MDCLXXXVIII. provectum fuiſſe ad Officium Magiſtri Sacri Palatii, ita ſtatim ſubjicit: *Qua provincia ſibi demandata adeo ſapienter defunctus eſt, ut Pontificem Maximum, & Purpuratos Patres ſuis Concionibus mirificè Spiritus Sancti unctione perfuſis per Quadrageſimalis temporis curriculum in admirationem rapuerit.*

III. Cæterum tametſi munere Concionatoris Apoſtolici perfuncti ſint per varia tempora varii ſacri Oratores variorum Ordinum, hodie tamen ex nova feliciter regnantis Pontificis Maximi BENEDICTI XIV. Conſtitutione donatus eſt eo munere Ordo Fratrum Capuccinorum, egregieque nunc, & magna cum laude ipſo Apoſtolici Concionatoris munere fungitur Reverendiſſimus Pater F. Michael Angelus Franceſchi Regienſis prædicti Ordinis alumnus variis ab eodem regnante Pontifice privilegiis decoratus.

C A P. IV.

De alio Magiſtri Sacri Palatii Officio examinandi ſcilicet orationes coram Summo Pontifice habendas, eoſque arguendi etiam præſente Pontifice, qui aliter ſermones recitarent I. Bulla de ea re Calliſti III. Papæ, in qua inter alia edicitur, ut is cui commiſſum fuerit in Pontificia Capella concionari, non poſſit ſine licentia ipſius Magiſtri alium ſubrogare II.

I. INter alia privilegia a Summis Pontificibus Magiſtro Sacri Palatii collata fuit profecto & iſtud, cujus meminit Eugenius Papa IV. Litteris die XXX. Octobris anno MCDXXXVII. ad Joannem de Turrecremata Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum datis, & deſcriptis Tomo III. Bul-

larii Dominicani, pag. 81. ubi inter alia dicitur, *quod eos qui in dicta Capella*, Pontificia ſcilicet, *coram Nobis ſermocinaturi erunt, vos pro data vobis a Domino prudentia, viros doctos, & ſcientia, & ſermocinandi peritia præſtantes, qui materiam, de qua ſermonem facturi erunt, vobis manifeſtare teneantur, quibuſque ſermones pro temporum, & feſtivitatum occurrentia imponere poſſitis, valeatis, ac debeatis.* Ita Eugenius Papa IV. idemque munus recenſet in ſuo Romanæ Eccleſiæ Cæremoniali Auguſtinus Patricius Lib. III. Cap. XXIII. quod inſcriptum eſt, *De Magiſtro Sacri Palatii*, ubi ita ait: *Ad hunc ſpectat ordinare, qui debeat facere ſermones in Capella Apoſtolica, & eorum ſermones prævidere, curareque, ut nihil dicatur puritati Fidei, & gravitati illius loci contrarium.* Cur hæc ſancita fuerint, docet plane Calliſtus Papa III. ſuo Diplomate dato Idibus Novembris anni MCDLVI. quod in ipſo Tomo III. Dominicani Bullarii legitur, pag. 356. eſtque hujuſmodi:

CALLISTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad futuram rei memoriam

II. Licet ubilibet ad ſeminandum Verbum Dominicum, Apoſtolica Sedes decreverit operarios fore ex omni Religione Viros idoneos aſſumendos, illud tamen in alma Palatii Apoſtolici Capella, in qua ad Romanum Pontificem undique ex diverſis mundi nationibus confluentes viri famoſiſſimi ſedulo conveniunt, & in qua veluti ex Chriſtianæ ſapientiæ, & eloquentiæ fonte quævis doctrina imbibitur, eo ſtudioſius & accuratius agi voluit, quo univerſus orbis ea, quæ apud Sedem ipſam aguntur, tanquam præclariſſimum quoddam ſalubris eruditionis intuetur exemplar, & quo periculoſius foret, ſi in Dominica traditione quantumlibet exiguus aſſeveretur error, quam Sedes ipſa ſinceram, & puram, ſine ruga, vel macula Fidelibus toto orbe miniſtrare procurat. Hac igitur conſideratione moti, nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui inter alia ſtatuerunt, & injunxerunt, ut nul-

lus in eadem Capella, ſermonem verbi Dominici habere præſumeret, niſi prius a Magiſtro dicti Palatii pro tempore exiſtente examinatus & correctus, ac pro idoneo judicatus foret, veſtigiis inhærentes, ac periculis, quæ propter ignorantiam, vel temeritatem quorundam, qui non ſubacto examine, hujuſmodi ſermones ipſos in eadem Capella nonnunquam proferre temere præſumpſerunt, facile poſſent emergere, præſentis Conſtitutionis edicto occurrere cupientes, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus de cætero cujuſcumque præeminentiæ, gradus, ordinis, vel dignitatis exiſtat, Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus dumtaxat exceptis, ſermonem in eadem Capella præſumat habere, niſi illud ſibi a dicto filio Fratre Jacobo Ægidii Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ profeſſore moderno, & pro tempore exiſtente Magiſtro Sacri Palatii fuerit ante commiſſum, ipſeque ſermo ab eodem Magiſtro prævisus, accuratus, examinatus, & ſi opus extiterit, ante correctus, & emendatus, ac ſufficiens, ut in conſpectu Romani Pontificis haberi valeat, reputatus: ille vero, cui hoc commiſſum fuerit, ut præfertur, neminem poſſit loco ſui ſine ipſius Magiſtri petita, & habita licentia ſubrogare. Magiſter autem præfatus, in cujus humeris ſuper hoc cura dicti Pontificis requieſcit, in hujuſmodi ſermonibus, ea, quæ ad integritatem Fidei orthodoxæ, ſalubritatem doctrinæ, & omnium revocationem ſcandalorum pertinent, nec non ad faſtidioſæ prolixitatis moderamen diligenter intendat. Si quis vero tantum de ſe ipſo præſumeret, ut correctionem hujuſmodi humiliter forte recipere recuſaret, ex tunc liceat eidem Magiſtro ſermonem ipſum alteri, niſi illud temporis anguſtia prohiberet, committere: alioquin ſermonem eundem pro ea die, ſi ſibi videatur, prohibere. Quod ſi forte quiſpiam ita temerarius fuerit, ut illud, in quo correctus ab eodem Magiſtro extiterit, in dicta Capella ſermocinando, malitioſe enunciare præſumpſerit, ex tunc ad amplius in dicta Capella perorandum indignus cenſeatur, ac excommunicationis ſententiæ ſe ſubjacere

noverit eo ipſo, & nihilominus ab eodem Magiſtro publice etiam noſtro in conſpectu acriter arguatur. Sacriſta autem, vel Subſacriſta, necnon Magiſtri, & Clerici Cæremoniarum de hujuſmodi ſermonibus agendis, vel non agendis, ſive pronuntiandis, non aliter ſe, niſi quantum eis per Magiſtrum præfatum injunctum fuerit, quomodolibet intromitant. Volumus autem, quod ipſe Magiſter, quoties ipſum ab eadem Capella, infirmitate, aut alio impedimento legitimo abeſſe contigerit, ſubſtituendi ibidem alium loco ſui liberam habeat vigore præſentium facultatem; non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Domini MCDLVI. Idibus Novembris Pontificatus noſtri ſecundo.

C A P. V.

De facultate Magiſtri Sacri Palatii, ubi contingeret, eum a Curia abeſſe, ſubſtituendi de licentia Papæ ſuo loco alium I. Ejus rei exemplum II. De Socio ejus in munere adjutore, qui tamen, abſente Magiſtro Sacri Palatii, non gaudet illius prærogativis III. IV. De ejuſdem Magiſtri Vicariis in Provincia Romana, & eorum auctoritate ex Summi Pontificis Decreto V.

I. POtuiſſe olim Sacri Palatii Magiſtrum ſua in abſentia alium, de licentia tamen Summi Pontificis, cum eiſdem honoribus, & præeminentiis ſubſtituere, conſtat quidem ex Pontificio Calliſti III. Diplomate in præcedenti Capite recitato, ubi in fine ita legitur: *Volumus autem, quod ipſe Magiſter, quoties ipſum ab eadem Capella, infirmitate, aut alio impedimento legitimo abeſſe contigerit, ſubſtituendi ibidem alium loco ſui liberam habeat vigore præſentium facultatem*. Sed jam ante Calliſtum III. eam facultatem conceſſerat ipſi Sacri Palatii Magiſtro Eugenius Papa IV. uti conſtat ex ejus Litteris ad Joannem de Turrecremata datis anno MCDXXXVII. ubi ſic inquit: *Volentes, & auctoritate prædicta declarantes, ut omnes tui in dicto Of-*

Officio ſucceſſores, ac illi, quos in veſtrorum locum, quoties pro factis Eccleſiæ, aut alia emergente cauſa, vos contigerit a Curia abſentare, de noſtra licentia ſubſtituere decreveritis, quibuſcumque privilegiis, & indultis ſupra conceſſis uti valeant, & gaudere.

II. Hinc cum Silveſter de Prierio electus a Julio II. Papa anno MDXII. Magiſter Sacri Palatii a Leone Papa X. adverſus impium Hæreſiarcham Lutherum ad diverſos Italiæ Principes delegatus fuiſſet, de ejuſdem Pontificis licentia in Magiſterio Sacri Palatii ſubſtituit F. Thomam Badiam, ut vult Fontana in ſuo Syllabo, pag. 126. ſeu Radinum, ut contendit Echard Tomo II. Scriptorum pag. 74. de quo Paris de Graſſis in ſuo ms. Diario Leonis Papæ X. ad diem Dominicam Palmarum anni MDXXI. ita ſcribit: *Pridie aliquando ad me venit Magiſter Thomas Frater Sancti Dominici, qui aliquando in Capella oravit tam eleganter, & oſtendit mihi qualiter Magiſter Palatii ipſum ſubſtituit in loco, & officio ſuo, & petiit, ſibi dari locum Principalis ſui ſubſtituentis. Ego negavi, quia ſtylus Capellæ noſtræ neminem admittit ſubſtitutum in loco ſui Principalis. Ipſe contra oſtendit Bullas Eugenii, ubi expreſſe conceditur. Ego replicavi, ipſas Bullas eſſe per editionem Libri Cæremonialis revocatas, & amplius in uſu non eſſe. Ipſe adivit Papam, qui mihi ſuaſit, ut ipſum admitterem, non obſtantibus quibuſcunque, quia ipſum diligebat propter virtutes ejus. Ego ſuaſi, ut non rumpat ordinem Capellæ ſuæ, ſed ſi vult illum contentare, quod faciat ex nunc ſupernumerarium, ita ut ſint duo Magiſtri, & quod unus tantum venire habeat, qui teneat locum ſolitum, & ſic Papa in Capella fecit, intra diſtributionem Palmarum hodiernam. Quod cum Auditoribus Rotæ ego dixerim, ipſi quidem primo voluerunt reprobare. Tandem Papa declaravit mentem ſuam, quia ſic volebat, & ipſi Auditores receperunt eum ſine præjudicio jurium ſuorum.*

III. Quantum ex hucuſque narratis licet conjicere, nullum olim habuit Socium fixum Sacri Palatii Magiſter, ſed recentioris eſt plane moris, quod recitato ſuperius loco ſcri-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſcribit Cardinalis de Luca, reſidere ſcilicet in Apoſtolico Palatio, atque inter Papæ aulicos familiares recenſeri unum Religioſum Ordinis S. Dominici Sacræ Theologiæ eximium Profeſſorem, *cum Socio pariter ejuſdem facultatis Profeſſore, qui ſpeciem ejus Vicarii, ſeu Adjutoris in munere præſeferre videtur, ultra Converſos, qui pro eorum ſervitio ſunt neceſſarii*. Cæterum jam conſueviſſe labente ſeculo xvi. Sacri Palatii Magiſtrum ſecum habere Socium ſui Ordinis Religioſum Sacræ Theologiæ profeſſorem, & in eo munere adjutorem, multis exemplis oſtendi poſſet. Certe F. Joannes Baptiſta Lancius, ut ſcribit Fontana in Syllabo, pag. 150. *a Sixto Fabri, dum Magiſter Sacri Palatii eſſet, in Socium aſſumptus fuit &c.* Teſte etiam Echard Tomo II. Scriptorum ſui Ordinis ad annum MDCXCI. pag. 729. ubi de F. Raimundo Capiſuccho agit, *hic functus gradatim omnibus Scholæ muneribus, rude donatus, & Sacræ Theologiæ Magiſter in Comitiis Romæ generaliſſimis anno MDCXLIV. approbatus, Fratris Vincentii Candidi, dicti Sacri Palatii Magiſtri Socius primum aſcitus eſt &c.*

IV. Sed ſciendum tandem, Socium iſtum, de quo ſupra diximus, ubi Magiſter Sacri Palatii abeſſet, non gaudere illis prærogativis, quæ ſunt propriæ Sacri Palatii Magiſtri, ideoque nec locum in Capella haberet, nec alia multa facere poſſet, quæ proprie ad ipſum Magiſtrum ſpectant. Atque hic videtur fuiſſe etiam antiquus mos, uti conſtat ex Diplomate Martini Pontificis V. dato Romæ anno MCDXXIII. die v. Maji, legiturque Tomo II. Bullarii Dominicani, pag. 621. quo facultas data eſt F. Joanni de Caſanova Sacri Palatii Magiſtro, ut ſubſtituto in ſua abſentia uti valeret ad obeundum munus Magiſtri Scholarum Sacri Palatii, tunc enim temporis præcipuum erat munus ipſius præſidere Scholis Theologiæ, quæ in Pontificio Palatio erant, & legere etiam Sacram Scripturam, atque tractatus Theologicos. Edicit autem in eo Diplomate Pontifex, ut quandiu ille abeſſet, *Officium Magiſtri Scholarum prædictarum per ſubſtitutum idoneum gubernari faceret*, ac

ac ipſius officii emolumenta libere, ac licite percipere valeret, & habere, cum omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, honoribus, & libertatibus conſuetis. Plura de ipſo F. Joanne de Caſanova, qui fuit non modo variis privilegiis a Summis Pontificibus decoratus, ſed etiam ad S. R. E. Cardinalatum evectus, dicemus infra, Lib. II. in Magiſtrorum Sacri Palatii ſerie.

V. Præter Socium ejuſdem ſui Dominicani Ordinis, quem Magiſter Sacri Palatii creat, ſecumque habet commorantem in munere ſuo adjutorem, deputat etiam in Romana Provincia Vicarios ſui quoque Ordinis, qui una cum Epiſcopis, in quibus non ſunt Inquiſitores, examinent probentque libros, qui in ipſis Provinciæ Romanæ locis imprimendi ſunt. Extat de hac re Decretum Pauli Papæ IV. in Congregatione Sancti Officii editum die XI. Junii anno MDCXX. quod nos infra referemus Cap. VII. Num. II. Unde cum anno MDCXCIII. Cardinalis Savus Mellinus Epiſcopus Urbevetanus præceptum pœnale edidiſſet in perſonam F. Dominici Boerii Vicarii deputati a Magiſtro Sacri Palatii ejus temporis, ad effectum impediendi liberam deputationem, & retentionem Vicarii ejuſdem Sacri Palatii Magiſtri in ipſa Urbevetana civitate, *Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini, auditis partibus, eiſque informantibus in congregatione particulari ad hunc effectum deputata, cum voto Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Sacripantis & Nuzzi, ac facto verbo cum Sanctiſſimo, declaravit, aſſertum præceptum pœnale non afficere ad effectum impediendi manutentionem in poſſeſſione, ſeu quaſi, deputandi, & retinendi Vicarium Reverendiſſimi P. Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici in Civitate Urbevetana ad formam Decreti ſanctæ memoriæ Pauli V. Papæ, Procuratore ex adverſo præſente. Datum Romæ die & anno ſupradictis*; die nempe XXVIII. Februarii MDCXCIII. eo ſcilicet tempore, quo Magiſter Sacri Palatii erat Vir doctiſſimus Frater Thomas Maria Ferrarius, qui fuit poſtea S. R. E. Cardinalis, ut dicemus infra Lib. II. ubi Sacri Palatii Magiſtrorum ſeriem, ac geſta narrabimus.

CAP. VI.

CAP. VI.

De privilegiis Magiſtri Sacri Palatii conferendi gradus, & inſignia Doctoratus I. Ejus facultas etiam quoad Religioſos de licentia Papæ II. Poteſtas illius in Collegio Theologorum Urbis III.

I. TEſte Eugenio Papa IV. antiquum eſt hoc Magiſtri Sacri Palatii privilegium, quod ipſe confirmat Litteris ſuis datis die xxx. Octobris anno MCDXXXVII. ad Joannem de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, deſcriptis Tomo III. Bullarii Dominicani pag. 81. ubi ſic inter alia laudatus Pontifex ait: *Inſuper cum juxta antiquam laudabilem conſuetudinem omnes in Theologia doctorandi in Romana Curia, non niſi ab hujuſmodi Magiſtro Sacri Palatii licentiam pro forma Magiſterii, & inſignia ejuſdem ſuſcipere conſueverint, quod nullus impoſterum, Univerſitate Civitatis, in qua Curiam eſſe contigerit, dumtaxat excepta, poſſit legere, vel in Theologia in prædicta Romana Curia per aliquem doctorari, ſed vos viros ſeculares conſiderata peritia, & vitæ honeſtate, aliiſque ad id requiſitis, Religioſos vero de ipſorum Generalium licentia, ſi erunt digni, & idonei, ad lecturam ſcientiarum, & Bibliæ promovere, & Baccalaureos inſtituire poſſitis, & lectura completa, habito proborum Magiſtrorum, quos decreveritis aſſumendos privato examine, prædicta Magiſterii inſignia eis dare, & concedere, ut ſic Magiſtrati gratiis, & privilegiis, quibus alii Theologiæ Profeſſores gaudent, ipſi etiam uti, & gaudere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes.*

II. Ante Eugenium IV. conſueviſſe Magiſtrum Sacri Palatii non modo Secularibus, ſed & Religioſis conferre gradus doctoratus in Theologia, & licentiam docendi eam concedere, docent nos Innocentii Papæ VII. Litteræ datæ die VI. Junii anno MCDVI. quibus firmat inſtrumentum quo Frater Hugolinus Magiſter Sacri Palatii declarat, F. Melchio-

chiorem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini a ſe Magiſterii gradu donatum fuiſſe. Extant hæ Litteræ Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum pag. 478. & ſeq. in iiſque varia ſcitu digna curioſus lector inveniet. In eodem Bullario, Tomo II. pag. 534. & ſequenti poteſt & aliud legi Diploma Sixti Papæ IV. datum 17. Novembris anno MCDLXXV. quo Fratri Salvo de Panormo Sacri Palatii Magiſtro facultas conceditur, ut Fratri Petro de Hanturlibus, *adhibitis tribus, aut quatuor in Theologia Magiſtris, ſi præmiſſo rigoroſo examine, ad id idoneus repertus fuerit, & aliud Canonicum non obſiſtat impedimentum, ſuper quo tuam*, inquit, *& ipſorum Magiſtrorum conſcientiam oneramus, gradum, & inſignia doctoratus in dicta Theologia prædicto Petro, auctoritate noſtra*, ait, *conferas & aſſignes, ita ut deinceps omnibus, & ſingulis exemtionibus, immunitatibus, & praeeminentiis, prærogativis, gratiis, & indultis, quibus alii in Theologia Magiſtri in quacumque Univerſitate ſolemniter aſſumti potiuntur, & gaudent, ſeu potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, ipſe quoque uti, & gaudere libere, ac licite valeat*. Extant & alia id genus Diplomata in ipſo Ordinis Prædicatorum Bullario, quæ notis egregiis illuſtravit præſtantiſſimus Pater F. Antoninus Bremond, quæque ibidem a curioſo Lectore legi poſſunt.

III. Omittendum vero illud hoc loco non eſt, etiam hodieque Romæ in Collegio Theologorum, quod inſtitutum tradunt a Sixto V. in Univerſitate Studiorum Urbis, quæ Sapientia dicitur, Sacri Palatii Magiſtrum Doctoratum in Philoſophia, & Theologia, ſive conjunctim, ſive diviſim conferre. Mentionem quidem hujus Collegii facit in ſua Romanæ Curiæ Relatione Cardinalis de Luca, Parte II. Diſcurſu XLIV. Num IX. ubi nihil aliud ait, quam reſidere in ipſo Collegio poteſtatem doctorandi. Sane conſtituitur Collegium ipſum ex Magiſtro Sacri Palatii, qui principem locum habet, itemque ex Papæ Sacriſta, Commiſſario Sancti Officii, quinque Procuratoribus Generalibus Ordinum Mendicantium, Dominicano, Conventuali,

Digitized by Google

Auguſtiniano, Carmelitano, & Servita, & ulterius ex aliis duobus, prædictæ Univerſitatis Profeſſoribus, Conventuali ſcilicet Sacræ Theologiæ Lectore, & Auguſtiniano Sacræ Scripturæ, ac demum Secretario, qui inter alia munia privilegium Doctoratus deſcribit. Cæterum Magiſter ipſe Sacri Palatii duos ſolet deligere ex eodem Collegio, qui contra doctorandum arguant; itemque illum, qui Promotoris officio fungitur, doctorando aſſiſtens, eidemque præbens inſignia Doctoratus, mandante ſcilicet ipſo Magiſtro Sacri Palatii, qui formulam Doctoratus pronunciat, recitata jam prius a doctorando Fidei profeſſione, juxta Summorum Pontificum ſanctiones.

C A P. VII.

De juriſdictione & Officio Magiſtri Sacri Palatii circa impreſſionem Librorum ex generalis Concilii V. Lateranenſis Decreto I. Decretum de eadem re Pauli V. Papæ, II. & Urbani VIII. III. ac BENEDICTI XIV. Regnantis Pontificis, IV. Quæ hodierna praxis circa reviſionem Librorum, & obligationem donandi aliqua eorum exemplaria Magiſtro Sacri Palatii V.

I. Celeberrimum extat de ea re Decretum a Leone X. in Concilio Lateranenſi Generali v. editum Seſſione x. habita die iv. Maji, anno mdxv. in quam nos quædam ſcitu digna notavimus Tomo iv. Conciliorum, ubi Concilium ipſum, ejuſque Seſſiones enarravimus. Verba laudati Pontificis in ſua Conſtitutione de Librorum impreſſione edita in ipſa Seſſione x. hæc ſunt: *Nos, ne id, quod ad Dei gloriam, & Fidei augumentum, ac bonarum artium propagationem ſalubriter eſt inventum, in contrarium convertatur, ac Chriſtifidelium ſaluti detrimentum pariat, ſuper Librorum impreſſione curam noſtram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis ſeminibus ſpinæ coaleſcant, vel medicinis venena intermiſceantur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio providere, hoc ſa-*

ſacro approbante Concilio, ut negotium impreſſionis hujuſmodi eo proſperetur felicius, quo deinceps indago ſolertior diligentius & cautius adhibeatur: ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, nullus Librum aliquem, ſeu aliam quamcumque ſcripturam, tam in Urbe noſtra, quam aliis quibuſvis Civitatibus, & Diœceſibus imprimere, ſeu imprimi facere præſumat, niſi prius in Urbe per Vicarium noſtrum, & Sacri Palatii Magiſtrum in aliis vero Civitatibus, & Diœceſibus, per Epiſcopum, vel alium babentem peritiam ſcientiæ, libri, ſeu ſcripturæ hujuſmodi imprimendæ, ab eodem Epiſcopo ad id deputandum, ac Inquiſitorem bæreticæ pravitatis, Civitatis, ſive Diœceſis, in quibus Librorum impreſſio hujuſmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manupropria ſubſcriptionem, ſub excommunicationis ſententia, gratis, & ſine dilatione imponendam approbentur. Neque in Urbe, neque in toto ejuſdem diſtrictu Libros imprimi poſſe abſque Magiſtri Sacri Palatii licentia, & approbatione, conſtat etiam ex Apoſtolico Pauli Papæ V. Decreto in Sacra Sanctæ Inquiſitionis Congregatione die XI. Junii MDCXX. ſancito, quod eſt hujuſmodi.

II. Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus Divina providentia Papa Quintus, ut erroribus, qui in Librorum impreſſione obrepere, & committi ſolent, via penitus occludatur, opportuno remedio providere volens, inhærendo Sacro Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſſione x. & Regulis Indicis Librorum prohibitorum juſſu Concilii Tridentini editi a felicis recordationis Pio Quarto, & deinde a Clemente Octavo, Summis Pontificibus Prædeceſſoribus ſuis, approbatis, & confirmatis, re etiam cum Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Congregationis Sancti Officii communicata, & mature perpenſa, motu proprio, ex certa ſcientia, & mera deliberatione declaravit, & decrevit, ut non ſolum in hac alma Urbe Roma a Vicario Sanctitatis ſuæ, & a Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici, juxta ejuſdem Concilii Decretum, omnes Libri, & quæcumque aliæ ſcripturæ imprimendæ, examinari, & ap-

Digitized by Google

approbari debeant, antequam imprimantur; ſed etiam in tota Romana Provincia hujuſmodi examinatio, & approbatio accurate fiat ab Epiſcopo loci impreſſionis, vel alio de ejuſdem Epiſcopi mandato, ac ab eodem Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro ad id ſpecialiter deputato a prædicta Congregatione Sancti Officii, ad quem ſimul, & ad Epiſcopos locorum ejuſdem Romanæ Provinciæ, in quibus non ſunt Inquiſitores, Sanctitas ſua ſolum hoc impreſſionis Librorum, & aliarum ſcripturarum negotium in eadem Provincia Romana ſpectare voluit, & declaravit. Mandans inſuper, ut eadem Sacra Congregatio in dicta Romana Provincia, omnia & ſingula in prædictis Indicis Regulis contenta, exacte obſervari curet, & faciat. Inhibens propterea univerſis, & ſingulis Librorum Impreſſoribus, ac Bibliopolis, ſub cenſuris, & pœnis in dicta Conſtitutione felicis recordationis Leonis X. & in prædictis Regulis Indicis contentis, eo ipſo abſque ulla declaratione incurrendis, aliiſque arbitrio ejuſdem Sacræ Congregationis, etiam corporis afflictivis pœnis, ne in dicta Provincia Romana Libros, & Scripturas, antequam ab Epiſcopo loci, ſeu alio de ejuſdem Epiſcopi mandato, & præterea a prædicto Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro examinatæ, & approbatæ fuerint, quoquo modo imprimere, aut venales habere, ſeu proponere audeant, vel præſumant. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Et ita mandavit, perpetuis futuris temporibus obſervari. Voluit demum, ne præmiſſorum ignorantia a quoquam prætendi poſſit, quod præſens Decretum, ſeu illius exempla ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent, quodque præſentium tranſumtis etiam impreſſis manu Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

III. Rurſus ex alio Apoſtolico Urbani VIII. Decreto edito in eadem Sacra Congregatione Sanctæ Inquiſitionis die

Digitized by Google

die xxviii. Septembris anno mdcxxv. cautum eſt, ut nullus in Urbe, ſeu intra ejus ditionem exiſtens, imprimendos Libros extra Eccleſiaſticum Statum abſque illius approbatione mittere poſſit. Decretum autem ipſum in prædicta Sacra Congregatione editum eſt ſequentis tenoris. Sanctiſſimus Dominus Noſter pro debito ſui Paſtoralis Officii corrigere volens abuſus nonnullorum in Statu Sedi Apoſtolicæ mediate, vel immediate ſubjecto exiſtentium, qui Libros a ſe compoſitos extra præfatum Statum abſque ulla Ordinariorum, & Inquiſitorum loci, ubi degunt, approbatione, imprimendos tranſmittunt: ſtatuit, & decrevit, ut in poſterum nemo in Statu prædicto degens, cujuſvis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis exiſtat, Libros de quavis materia tractantes, & ubicumque compoſitos audeat alio deferre, vel mittere imprimendos ſine expreſſa in ſcriptis approbatione Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Domini Cardinalis Sanctiſſimi Domini Noſtri Vicarii, & Magiſtri Sacri Palatii, ſi in Urbe; ſi vero extra Urbem exiſtat, ſine Ordinarii, & Inquiſitoris loci illius ſive ab iis deputatorum facultate & licentia Operi præfigenda. Libros autem, quos contra præſentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio ſuæ Sanctitatis infligendas, abſque alia declaratione, ex nunc prohibet, & pro expreſſe prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus &c.

IV. Utrumque Decretum Summorum Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. legere eſt apud Fontanam in laudato Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici pag. 11. & 16. Itemque addendum cenſeo noviſſimum de ipſa impreſſione Librorum Decretum Feria v. die 1. Septembris mdccxliv. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO Divina Providentia Papa XIV. ac Eminentiſſimis, atque Reverendiſſimis Dominis S.R.E. Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus a Sancta Sede ſpecialiter deputatis promulgatum, quod profecto eſt hujuſmodi.

Cum

Digitized by Google

Cum tanta ſit petulantium ingeniorum temeritas, ut in hac alma Urbe ſæpe Libros, aliaque ſcripta, non petita prius, minuſque obtenta Superiorum Eccleſiaſticorum licentia, & approbatione, tacito quandoque, quandoque ementito prælo excuſſa, in lucem prodire contingat non ſine gravi ſcandalo, & provide inſtitutarum Legum contemptu, & injuria: Sanctiſſimus Dominus noſter pro Paſtoralis ſuæ ſollicitudinis debito animadvertens, hujuſmodi abuſum in hac Urbe ſua ſtirpitus convelli & aboleri, necnon id genus crimina impudenter attentantes, in officio contineri eo facilius poſſe, quo deinceps pœna fuerit gravior, ac inquiſitio ſolertior: primum obſervari mandat, & præcipit omnia, & ſingula, quæ alias ſuper impreſſionis librorum negotio in Sacro Lateranenſi Concilio habito ſub felicis recordationis Leone Papa X. Prædeceſſore ſuo Seſſione x. præſcripta ſunt; itidemque regulas Indicis Librorum prohibitorum juſſu S. Tridentinæ Synodi editas, & publicatas, & a Pio IV. & Clemente VIII. Pontificibus approbatas, & confirmatas, ac demum omnium Romanorum Pontificum Decreta, quibus cautum eſt, nemini licere librum aliquem, ſeu aliam quamcumque ſcripturam imprimere, vel imprimi facere in Urbe, niſi omnia typis conſignanda, examinata primum, probataque fuerint a Cardinali Urbis Vicario, ac Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici, conſtituta tranſgreſſoribus pœna anathematis ipſo facto incurrenda, ac ultra librorum impreſſorum publicam combuſtionem, mulcta etiam pecuniaria 100. ducatorum auri Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe ſine ſpe remiſſionis applicandorum, ac ſeverioribus etiam pœnis contra inobedientes omnino ingraveſcente contumacia infligendis.

Præterea Sanctiſſimus Dominus noſter præmiſſis Lateranenſis Concilii, aliorumque Romanorum Pontificum pœnalibus ſanctionibus a ſe confirmatis, & quatenus opus ſit, etiam innovatis, nedum ſubjicit imprimentes, vel imprimi in Urbe facientes librum, ſeu libros, & ſcripturas quaſcumque abſque approbatione & licentia, ut præmiſſum eſt, Cardinalis Vicarii, & Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici, ſed

ſed etiam eorum Authores, quicumque ſint, omneſque operam, & auxilium in ſæpedictam vetitam impreſſionem conferentes, & impreſſa per ſe, vel per alios, quomodolibet evulgantes. Excipiendas tamen ab hac pœnali lege Sanctitas ſua declarat ſcripturas pro forenſi uſu, & cauſarum cognitione Congregationibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aliiſque Urbis Judicibus exhiberi ſolitas, dummodo tamen illarum exemplaribus prælo committendis Patroni cauſæ, prout hactenus conſuevit, proprio charactere ſe ſubſcripſerint, caſtigatoque calamo eadem exemplaria fuerint exarata, ſuper quibus eorundem Romanæ Curiæ Judicum, ac Magiſtri Palatii Apoſtolici vigilantiam impenſe oneravit.

Statuit quoque, ac præcipit Sanctiſſimus, inobedientes, & contravenientes, qui excommunicatione majori indicta a memorata Conſtitutione Concilii Lateranenſis innodantur, a nemine in poſterum, excepto mortis articulo, quam a Romano Pontifice pro tempore, vel alio, delegata ſibi ab ipſo Pontifice auctoritate ſuffulto, abſolvi poſſe; dictæque Cenſuræ, & reſervationi ſubjici mandat tranſgreſſores quoſcumque, cujuſvis ſint gradus, ſtatus, conditionis, & dignitatis, quæ etiam ſpeciali nota, ac mentione digna ſit, ſacientes imprimi in Urbe dictos libros, & ſcripturas omnes, illoſque, vel illas imprimentes, & publicantes, ut dictum eſt, ſine dicta approbatione.

Comprehendi quoque vult Sanctitas ſua in dicta Cenſura, & reſervatione eos, qui conſcriptos in Urbe libros, aliaſque ſcripturas, in dictarum Legum fraudem malitioſe extra Urbem alio tranſmittunt imprimendas, & evulgandas, non habita prius licentia Cardinalis Vicarii Urbis, & Magiſtri Sacri Apoſtolici Palatii, & in contemptum ſpecialis prohibitionis felicis recordationis Urbani Papæ VIII. contentæ in Decreto Congregationis Sancti Officii edito coram eodem, die Jovis xvii. Septembris mdcxxv.

Demum ut pervicaces homines pœnarum ſeveritate deterriti a ſimilibus in hac Urbe perpetrandis retrahantur, mandat Sanctitas ſua, ut S. R. E. Cardinales in tota Repu-

publica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores a Sancta Sede deputati, qua par eſt ſedulitate, & vigilantia, contra quoſcunque inobedientes, ac tranſgreſſores inquirant, & in eos, quos reos compererint, tam pro præterito, quam pro futuro, condignis pœnis, etiam corporis afflictivis, rigide animadvertant. Quod ut facilius aſſequi poſſint, Sanctitas ſua facultatem indulget Sacræ Congregationi Sancti Officii abſolvendi ab excommunicatione prædicta ſponte comparentes, quorum depoſitio, inviolabilis ſecreti fide de more cuſtodienda, in id plurimum conferet, ut contra alios ejuſdem criminis ſocios, ſi qui forte ſint, juxta praxim Sacri Tribunalis rite per inquiſitionem procedatur.

V. Reliquum eſt, ut & illud hoc loco adnotemus, quod in ſua Relatione Romanæ Curiæ, Parte II. Diſcurſu VII. docet Cardinalis de Luca, ubi juriſdictionem, & officium Magiſtri Sacri Palatii circa impreſſionem Librorum recenſet: *Hodiernum*, inquit, *munus hujus Magiſtri principaliter conſiſtere videtur in reviſione Operum, ſeu Librorum in Urbe, ac diſtrictu imprimendorum, cum impreſſio prohibita ſit, ſine prævia licentia Cardinalis Vicarii, ſeu ejus Viceſgerentis, quæ concedi ſolet ſub conditione reviſionis, & approbationis hujus Magiſtri, qui quandoque per ſe ipſum, vel per ejus Socium hanc reviſionem facit, & quandoque, ac frequentius, in Libris Legalibus, vel aliarum facultatum, quarum ipſe, ejuſque Socii non ſint Profeſſores, reviſionem committit alicui probato Profeſſori, ad cujus relationem ipſe licentiam impartitur, ut docet praxis adeo frequens Librorum, qui in Urbe imprimuntur*. Spectat & recentiorem praxim quod mox idem Auctor ſubdit: *Quinimo neque iſta licentia ſufficit, ſed poſtquam Liber eſt impreſſus, deſideratur altera ejus licentia ſuper publicatione, cujus occaſione per Impreſſorem tres ei traduntur ejuſdem Libri copiæ impreſſæ, una ſcilicet pro ſe ipſo, altera pro Socio, & altera pro dicto Viceſgerente*. Ita ille, ſed addita fuit deinde quarta pro Vaticana Bibliotheca, parumque abſuit, quin alii quoque copias alias

alias non obtinuerint. Sed agendæ gratiæ felicis memoriæ Fratri Nicolao Ridolphio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro qui miſertus Auctorum, ei viriliter obſtitit cupiditati.

C A P. VIII.

De facultate Magiſtri Sacri Palatii in prohibendis libris impreſſis I. II. & in concedenda lectione librorum prohibitorum III. & IV.

I. Retinet quoque Magiſter Sacri Palatii facultatem; quam, ut ait Cardinalis de Luca loco ſuperius citato, forte ſolus exercebat ante erectionem Sacræ Congregationis Sanctæ Inquiſitionis, & alterius, quæ dicitur Indicis Librorum prohibitorum, de quibus dicemus nos infra opportuniori loco, Libros impreſſos, quos prohibendos judicaverit, proſcribendi; eaque non ſemel uſus eſt facultate, ut docet Fontana in ſuo Syllabo pag.32. probatque ex publicis proſcriptionis Decretis ab eodem editis, & in Librorum prohibitorum Indice appoſitis, ac nominatim ex illo, quod edidit Vincentius Candidus ſub Innocentio Pontifice X. anno MDCLII. in Camerali Typographia impreſſo, quo Librum, donec corrigatur proſcripſit, cui Titulus: *Panegyricus de inſtitutione Collegii Germanici & Ungarici anno ſæculari ejuſdem Collegii*.

II. Varias prohibitorum Librorum promulgationes a Magiſtro Sacri Palatii factas recenſet Hyacinthus Libellus qui primum Secretarius Congregationis Indicis, ac deinde etiam Magiſter Sacri Palatii fuit, in ſuo Decretorum Indice, quem legere eſt ad calcem Indicis Librorum prohibitorum juſſu Alexandri VII. Papæ editi Romæ anno MDCLXIV. pag.289. & ſeqq. Ut alia eam in rem Decreta omittam, quæ recenſentur pag. 293. & 296. edita a F. Joanne Maria Briſichellenſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, pag. 300. hoc editum Decretum legitur anno MDCIX. a Fratre Ludovico Yſtella Magiſtro itidem Sacri Palatii. Hæc vero ejus verba. Cum hoc anno, anniſque proxime elapſis in lucem prodierint

Digitized by Google

rint infraſcripti Libri, videlicet: *Il Piovano, cioè ſedici Sermoni, compoſti da Miſſer Vittor de' Popoli, Piovano di S. Germano, ſopra il Catechiſmo Romano* 1580. Libellus impreſſus Genevæ, ementito loco impreſſionis, inſcriptus: *La Confeſſione di Theodoro Beza, corretta, & ſtampata di nuovo in Roma per ordine del Papa*. Apologia pro juramento fidelitatis, primum quidem ab anonymo, nunc vero ab ipſo Auctore Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principe Jacobo Dei gratia magnæ Brittanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rege, Fidei Defenſore, denuo edita, &c. Londini excudebat Joan. Horton. 1609. In quibus pernicioſæ, & execrandæ hæreſes, contra veritatem, & puritatem Sanctæ Fidei Catholicæ continentur, ac ne Chriſtifideles ex illorum lectione erroribus, & hæreſibus inficiantur, & depraventur, a Sacra Congregatione ſanctæ Inquiſitionis univerſalis Romanæ, prohibiti fuerunt. Nos Frater Ludovicus Yſtella Valentinus Prædicatorum Ordinis, Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter, & Judex ordinarius, &c. de mandato S. D. N. Pauli Divina providentia Papæ V. oretenus nobis facto, ac etiam noſtri auctoritate Officii, omnibus, & ſingulis perſonis, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus cujuſvis ſtatus, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, præcipimus, & mandamus, ne prædictos Libros, aut eorum aliquem tenere, ſeu legere quovis modo audeant, vel præſumant, ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, a qua non niſi a S. D. N. abſolvi poſſint, ac mulcta ducatorum mille auri de Camera, locis piis applicanda, aliiſque gravioribus pœnis in Sacris Conſtitutionibus Apoſtolicis, & in Indice Librorum prohibitorum contra tenentes, ac legentes libros prohibitos, contentis. Ordinantes omnibus, & ſingulis perſonis, ut eorumdem librorum exemplaria, ſanctæ Inquiſitionis Officio, ſeu Nobis quamprimum conſignent. Bibliopolis vero ſub eiſdem pœnis jubemus, ne prædictorum librorum exemplaria recipere, tenere, ſeu venalia proponere quovis modo præſumant, illaque ut ſupra conſignent. Ac præſenti Edicto omnes ligari, & arctari volumus, & declaramus poſt il-

Digitized by Google

illius publicationem, & affixionem ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, Palatii Sanctæ Inquiſitionis, & in acie Campi Floræ de more factam; præſentes quidem in Urbe, infra tres dies, alios vero quoſcumque, & ubicumque, quamprimum talis prohibitio quomodocumque, & ubicumque ad eorum notitiam pervenerit: ejuſdemque Edicti exempla, etiam impreſſa, ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita, ubique fidem facere, ac ſi originale foret exhibitum. In quorum fidem præſens Edictum manu noſtra ſubſcripſimus, noſtroque ſolito ſigillo muniri juſſimus. Dat. Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, die 23. Julii anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1609.

II. Habet præterea facultatem concedendi licentias perſonis non ſuſpectis legendi libros prohibitos ad aliquem bonum finem; *ideoque ex iſta etiam cauſa*, ait idem Cardinalis de Luca in citata toties Relatione, ***ante dictarum Congregationum erectionem***, *longe majorem faciebat figuram*. Quicquid ſit, eſt hodie Magiſter Sacri Palatii Judex ordinarius in Urbe quoad impreſſionem, publicationem, introductionem, extractionem, emtionem, ac venditionem librorum, Imaginum, & quorumcumque edendorum, ſeu editorum typis. Legendi, retinendique prohibitos libros licentiam concedit. Impreſſoribus omnibus, Bibliopoliſque præeſt, ad ipſumque imprimendi, ac publicandi impreſſos Libros licentiam impertiri ſpectat. Hinc initio Præfecturæ aſſumtæ in horum omnium obſervationem Edictum evulgat, quod memorati omnes apud ſe retinere coguntur ſub pœnis in eodem ſtatutis.

III. Quod licentiam ſpectat, quam legendi, retinendique vetitos Libros, concedere poteſt Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, opportune hoc loco Decretum deſcribimus, quod Feria v. die XIX. Januarii anni MDCXXIII. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum coram Gregorio Papa XV. & S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus In-

Digitized by Google

Inquiſitoribus a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis editum fuit, quod eſt hujuſmodi: *Sanctiſſimus Dominus Noſter D. Gregorius Papa XV. declaravit, mentem Sanctitatis ſuæ fuiſſe, & eſſe, ut Magiſter Sacri Palatii continuet in Urbe tantum concedere licentiam legendi libros prohibitos, dummodo non tractent ex profeſſo de Religione, & non ſint primæ Claſſis Indicis Librorum prohibitorum, non obſtante Conſtitutione nuper edita, & promulgata die ii. hujus, qua revocantur omnes facultates legendi libros prohibitos, & aliis concedendi licentiam eos habendi, & legendi*. Idipſum etiam declaravit Urbanus Papa VIII. in Congregatione Sanctæ Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis Feria v. die xxx. Octob. MDCXXXI.

C A P. IX.

De Conſultoris Officio, quod habet Magiſter Sacri Palatii in Sacris Congregationibus Sanctæ Inquſitionis I. II. Indicis, Indulgentiarum, Rituum, & de Officio Examinatoris, quod habet in Congregatione Examinis Epiſcoporum, & in illa, quæ fit coram Cardinali Vicario pro concurſu Parochorum Urbis III.

I. Quamquam per duodecim ſecula, uti notat Vanespen, Parte I. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo XXII. Cap. III. nulli fuerint Fidei Inquiſitores præter Epiſcopos, qui vi officii ſui jubentur invigilare in hæreſes, hæreticoſque, primus ſub initium ſeculi XIII. Innocentius III. Pontifex Maximus contra hæreſim Albigenſium in Provinciam Toloſanam, eique adjacentes miſit Arnaldum Abbatem Ciſtercienſem, Petrum de Caſtronovo, & Radulphum Monachum ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis, & quidem plena auctoritate procedendi contra hæreticos, ut patet ex ejuſdem Innocentii Papæ Litteris ad ipſos datis XXIX. Maji anno MCCIV. At vero cum hi nihil proficerent, S. Dominicus Prædicatorum Familiæ inſtitutor, adjunctis ſibi Sociis quaqueverſum per Provincias diſcurrens tum præ-

Digitized by Google

prædicatione, tum exhortatione, facultate ſibi a Romanis Pontificibus data, hæreticis ſe oppoſuit, primumque ajunt illum fuiſſe, cui Inquiſitoris nomen tributum eſt, *dum antiquiori tempore alii idem munus exercentes, diverſam forte nuncupationem habebant*, uti ait Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ, Parte II. Diſcurſu xiv. ubi etiam mox ſubdit, poſt laudatum S. Dominicum, aliis ejus Alumnis, Ordiniſque Profeſſoribus, idem munus committere Apoſtolicam Sedem conſueviſſe, inter quos immediatus, vel mediatus Succeſſor fuit Petrus Veronenſis, qui ab hæreticis pro Fide Catholica occiſus, Sanctorum Martyrum Catalago meruit ab Innocentio IV. Pontifice Maximo adſcribi. Extat in hanc rem Sixti Papæ V. Diploma editum die xiii. Aprilis anno mdlxxxvi. in Bullario Ordinis Prædicatorum Tomo v. pag. 447. & ſeq. ubi diſerte ait Pontifex, Inquiſitionis Officium S. Dominico commiſſum primum fuiſſe a Prædeceſſoribus ſuis Innocentio III. & Honorio itidem III. zelumque S. Parentis Dominici imitatum S. Petrum Martyrem in obeundo Inquiſitoris munere contra hæreticos mirabiliter ſe geſſiſſe.

II. Porro, ut cenſet idem Cardinalis de Luca citato loco, Diſcurſu viii. Magiſter Sacri Palatii *in ſua origine probabiliter aſſumtus fuit ad effectum, ut in rebus, quæ ad Fidem pertinent, in privatis occurrentiis Papam informet tanquam per ſpeciem Conſultoris in his materiis, eo modo, quo, data proportione, tenent Theologum plures Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac etiam Cardinales, potiſſime antiquioribus temporibus, antequam ſub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquiſitionis, vel Sancti Officii, quæ hodie in his, quæ pertinent ad Eccleſiam univerſalem, & Papam uti Papam, ipſas gerit partes*. Cum itaque ante memoratæ Congregationis erectionem, Summi Pontifices in rebus Fidei potiſſimum opera, & conſilio Magiſtri Sacri Palatii uterentur, eumque tanquam Conſiliarium & aſſeſſorem haberent, non mirum, ſi erecta deinde ipſa Congregatione unus ex fixis ejuſdem Conſultoribus ſit Sacri Palatii Magiſter, ſicut & alii duo ſui Ordinis Prædicatorum Profeſſores, Ma-

Digitized by Google

Magiſter Generalis, & Commiſſarius. Ab ipſo enim Ordinis Prædicatorum Inſtitutore S. Dominico, ejuſque Alumnis Sacram Inquiſitionem ſuam traxiſſe originem, non modo Scriptores privati teſtati ſunt, ſed & ipſi Pontifices Maximi, quorum Diplomata legere eſt in celebri Fratrum Prædicatorum Bullario.

III. Quod Congregationem Indicis ſpectat, quam S. Pius V. inſtituit, & de qua fuſe Cardinalis de Luca, & Vaneſpen diſſerunt, conſtituitur hæc quidem ex competenti Cardinalium numero, habetque non modo Secretarium Religioſum Ordinis Prædicatorum, ſed etiam in primarium & fixum Conſultorem habet ipſum Apoſtolici Palatii Magiſtrum, cujus antiquitus in Romana Curia ſingularis iſta cura erat. Atque hæc eſt cauſa, cur, interdicta locorum Ordinariis, aliiſque Prælatis facultate concedendi licentiam legendi Libros prohibitos, qui a prædicta Congregatione, vel ab illa Sacræ Inquiſitionis vetiti fuerint, poſſit Magiſter Sacri Palatii in Urbe, & ejus diſtrictu eam facultatem concedere, cum aliquorum tamen Librorum exceptione, quam ipſæmet Congregationes patiuntur; dum aliquorum Librorum reſpectu, ipſi Papæ ſingulariter, ac privative, ut ajunt, iſta poteſtas reſervata eſt. Congregationi Indicis, ubi Magiſter Sacri Palatii intereſt, ut Prælatus, ipſe ante illius inchoationem, orationem de more legit, teſte Fontana in ſuo Syllabo pag. 33. Cæterum quod Sacri Palatii Magiſter veluti Papæ Theologus ſemper habitus fuerit, ideo fixus eſt etiam Conſultor Congregationis Indulgentiarum, Rituum, atque unus ex fixis Examinatoribus in Congregatione examinis Epiſcoporum, uti videre eſt apud memoratos Auctores, Vaneſpen, & Cardinalem de Luca, Diſcurſu XVIII. & XXI. intervenitque Congregationi, quæ fit ante Eminentiſſimum Cardinalem Vicarium pro concurſu Parochorum Urbis, uti notavit idem Fontana in ſuo Syllabo citata pag. 33. Sed varia alia Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri munia, & privilegia referemus mox in ſequentibus hujus I. Libri Capitibus, & deinde etiam Libro II. ubi de ſingulis Magiſtris Sacri Palatii agemus.

CAP.

CAP. X.

De loco Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici in Capella Pontificia, & in equeſtri pompa I. Una cum Sacræ Rotæ Auditoribus aſſiſtit idem Magiſter Rotæ Conclavis II. Reputatus ſemper veluti unus ex ipſis Auditoribus III. De ejus habitatione in Palatio Apoſtolico, & Titulo Reverendiſſimi, quo vel a Cardinalibus donari ſolet IV.

I. LOcum in Pontificia Capella, & ubicumque, immediate poſt Sacræ Rotæ Decanum obtinuit quidem Magiſter Sacri Palatii ex Indulto Eugenii Papæ IV. ut liquet ex ejus Diplomate dato III. Kal. Novembris, anno MCDXXXVII. ad Joannem de Turrecremata Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtrum, ubi inter alia edicit, *ut in Capella noſtra, dum Divina celebrantur Officia, ac in publicis, & generalibus Conciſtoriis, & aliis publicis actibus, Tu, & Succeſſores tui immediatum poſt dilectum Filium Decanum dilectorum Filiorum Capellanorum noſtrorum, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum, qui in obſequio Mitræ pro tempore nobis miniſtrat, teneatis, & habeatis.* His concinit Auguſtinus Patricius Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfectus in ſuo Romanæ Eccleſiæ Cæremoniali, Lib. III. Cap. XXIII. ubi agens de Magiſtro Sacri Palatii, ſic inter alia inquit: *Sedet, vel ſtat ſemper poſt primum Auditorem, qui adeſt.* Atque hic fuit mos ſervatus uſque ad annum MDCLV. quo Alexander Papa VII. Officio Subdiaconorum Apoſtolicorum in Sacello Pontificio, quod nullo perſonarum delectu venale erat, abolito, eo miniſterio inſignivit Sacræ Rotæ Romanæ Auditores, prærogativaque Rochetti, ac habitus violacei eoſdem donavit. Forſan ratione ſymmetrici, vel hierarchici Ordinis, ut verbis utar Cardinalis de Luca, & ne inter indutos habitu Clericorum ſecularium interſecarent induti habitu Regulari, nunc Magiſter ipſe Sacri Palatii ſedet quidem cum Auditoribus Rotæ, ſed poſt eorum ultimum.

II. Una cum Sacræ Rotæ Auditore jam ex antiquo more con-

conſueviſſe Sacri Palatii Magiſtrum quartæ cuſtodiæ Conclavis ad ejuſdem Rotam aſſiſtere, diximus 1. Tomo Commentariorum ad Cæremoniale Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Titulo 1. in Commentario ad §. IV. Num. VII. Id juris firmatum eidem jam fuit etiam cum pari numero ſunt ipſi Sacræ Rotæ Auditores, ut liquet ex Decreto, quod poſt obitum Clementis Papæ XII. die XXX. Martii anni MDCCXL. una cum Camerario ediderunt S. R. E. Cardinales, qui tunc erant Ordinum Capita. Decreto edendo occaſionem dedit ejuſdem Sacræ Rotæ Decanus Carolus Calcagninus, poſtea Cardinalis a regnante Pontifice BENEDICTO XIV. creatus, qui contendebat, ipſum Magiſtrum Sacri Palatii non debere cum Rotæ Auditore cuſtodiæ Conclavis aſſiſtere, cum Auditores ſunt pari numero. Verum merito vicit Magiſter Sacri Palatii, qui tunc erat F. Nicolaus Ridolfi, tum præſertim quod ejus prædeceſſores in Conclavibus anni MDCLXVII. & anni MDCLXX. cuſtodiæ interfuerunt una cum Rotæ Auditore, licet tunc Auditores Rotæ eſſent numero pari. Conſtant hæc ex Protocollo II. ipſius Nicolai Ridolfi quod legi apud ejus Succeſſorem Reverendiſſimum Patrem F. Joſephum Auguſtinum Orſi, in eoque extat laudatorum Cardinalium Decretum, quo edicitur, Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici una cum Sacræ Rotæ Auditore ad ipſam cuſtodiam, etiam cum Auditores Sacræ Rotæ ſunt pari numero, eſſe admittendum.

III. Quicquid vero de hac re ſit, illud plane conſtat ex dictis, reputatum fuiſſe ſemper Magiſtrum Sacri Palatii tamquam unum ex Sacræ Rotæ Auditoribus, docetque laudatus Cardinalis de Luca, probabile eſſe, quod idem Magiſter gereret partes, quas gerit hodie domeſticus Auditor Papæ; ac præterea non Theologiæ tantum, ſed etiam Juris Canonici antiquitus eximius Profeſſor erat, & per conſequens etiam peritus in Jure Civili, qualis inter alios fuit Joannes de Turrecremata, Magiſter primum Sacri Palatii, tum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ut nos Canonica ejus Opera docent. Certe in Hierarchia Regulari adhuc hodie officium Magiſtri Sacri Palatii eſt magnæ exiſti-

ſtimationis tum ob explicatam ſuperius juriſdictionem, & annexum munus fixi Conſultoris plurium Congregationum; tum etiam quia, ut notat idem Cardinalis de Luca, *cum ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ad decorandum Clerum Regularem congruat aliquos Religioſos Cardinalium Collegio cooptare, iſte reputari ſolet gradus valde proximus huic dignitati, ut praxis pluries probavit.*

IV. Manſiones habere Magiſtrum Sacri Palatii in Palatio Apoſtolico, ejuſque officium non ad tempus, ſed ad vitam conferri, pervetuſtus eſt quidem mos, conſtatque ex Pontificio Diplomate, quo a Pontifice creari ſolent Magiſtri Sacri Palatii: *Te igitur ejuſdem Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum cum auctoritate, facultate, honoribus, & oneribus, & manſionibus in Palatio noſtro Apoſtolico, portione, & emolumentis ſolitis, & conſuetis, ad tui vitam facimus, conſtituimus, & deputamus.* Verba ſunt Pontificii Diplomatis, quo Innocentius Papa X. die XIII. Novembris anno MDCLIV. Magiſtrum Sacri Palatii creavit Raimundum Capiſuccum, qui poſtea fuit S. R. E. Cardinalis, legiturque ipſum Diploma apud Fontanam in Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii, pag. 34. Qui etiam Auctor tradit, ipſum Sacri Palatii Magiſtrum vel ab ipſis S. R. E. Cardinalibus Titulum Reverendiſſimi obtinere.

CAP. XI.

De Beneficiis Eccleſiaſticis Sacri Palatii Magiſtro donatis, ac de Præbenda Theologali eidem Magiſtro in Baſilica Vaticana a S. Pio Papa V. collata, ut S. Tomæ doctrinam, quam ab Eccleſia Catholica receptam, & aliis magis tutam & ſecuram dicit, doceat, ac de aliis emolumentis loco ipſius Præbendæ a ſequioribus Summis Pontificibus eidem Sacri Palatii Magiſtro aſſignatis I. & II.

I. HOnoribus, ac prærogativis, quibus gaudent Magiſtri Sacri Palatii, pro decenti eorundem ſuſtentatione addiderunt Summi Pontifices Eccleſiaſtica Benefi-

 cia,

cia, quorum meminit Martinus Papa V. ſuo Diplomate dato anno MCDXXII. die 1. Septembris, quo Fratri Joanni de Caſanova Magiſtro Sacri Palatii facultatem teſtandi concedit etiam *de bonis ratione Beneficiorum, quæ ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis* obtinuerat *acquiſitis*. Legitur Diploma Tomo II. Bullarii Dominicani pag. 609. Sed ut alia omittam Diplomata de eadem re ab aliis Pontificibus edita, quæ legere eſt in eodem Bullario, atque emolumenta, & quotidiana, ac menſtrualia, Pius Papa V. Diplomate quod incipit, *In eminenti*, edito IV. Kal. Auguſti anno MDLXX. legiturque Tomo V. Bullarii Ordinis Prædicatorum pag. 345. & ſeq. & apud Fontanam pag. 36. & ſeqq. Fratrem Thomam Manrique tunc Sacri Palatii Magiſtrum, ejuſque in eo munere ſucceſſores Canonicatu Vaticanæ Baſilicæ cum Præbenda Theologali juxta Concilii Tridentini Decreta donavit, ut nimirum S. Thomæ, *qui Theologiæ, & Ordinis Prædicatorum Profeſſor fuit, doctrinam Theologicam ab Eccleſia Catholica receptam, aliis magis tutam, & ſecuram* ibidem docerent.

II. Juxta hanc Pii Papæ V. Conſtitutionem obtinuit quidem prædictum cum Theologali Præbenda in Baſilica Vaticana Canonicatum Thomas Manrique uſque ad annum MDLXXIII. quo anno e vivis erepto Manrique Gregorius Papa XIII. qui anno MDLXXII. Pio V. ſucceſſerat, Conſtitutionem ipſius Pii revocavit, nova edita Conſtitutione, qua ſanxit, Theologalem ipſam Præbendam Romano Clerico inpoſterum eſſe conferendam, Pauloque Conſtabili, quem ipſe Gregorius Sacri Palatii Magiſtrum defuncto Manrique creavit, congruas penſiones tribuit. Sed evecto demum ad ſupremum Ordinis Prædicatorum regimen Conſtabili anno MDLXXX. Sixtus Papa V. qui tunc univerſam regebat Eccleſiam, Sixto Fabro Lucenſi Sacri Palatii Magiſtro a ſe promoto, ejuſque Succeſſoribus Magiſtris Sacri Palatii in perpetuum annuam penſionem *trecentorum ſcutorum ad rationem decem Juliorum monetæ Romanæ pro quolibet hujuſmodi ſcuto ſuper Monaſterii Abbatia nuncupati Beatæ Mariæ de Terreto Ordinis S. Baſilii Reginen. Diœceſis*, quam

Digitized by Google

quam tunc temporis in commendam obtinebat Hieronymus S. R. E. Cardinalis Ruſticucius, conſtituit, edito de hac re Pontificio Diplomate, quod incipit, *Romanum decet Pontificem*, pridie Kalendas Novembris anno MDLXXXVI. legiturque in Bullario Ordinis Prædicatorum Tomo v. pag. 450. & apud Fontanam in ſuo Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii, pag. 51. & ſeqq.

CAP. XII.

De juriſdictione Magiſtri Sacri Palatii in Eccleſiam S. Barbaræ Bibliopolarum I.

I. QUicquid ſit de origine Eccleſiæ S. Barbaræ Urbis in Regione arenulæ, certum illud eſt, in ea inſtitutam primum fuiſſe anno MDC. die XXIX. Junii, Clemente VIII. Pontifice Maximo, ſub invocatione S. Thomæ Aquinatis Societatem, ſeu Confraternitatem Bibliopolarum, auctore F. Joanne Maria Guanzello de Briſichella Sacri Palatii Magiſtro, in ejuſque ædibus anno inſequenti MDCI. die VII. Junii præviis orationibus factam fuiſſe electionem Prioris, qui fuit Bartholomæus Graſſi, uti nos docent ejuſdem Societatis Statuta, in quibus non uno in loco elucet Magiſtri Sacri Palatii auctoritas, & juriſdictio in ipſos Bibliopolas, ac præſertim ubi edicitur, nemini licere librorum officinam aperire, niſi primum a prædicta Societate probatus, in manibus laudati Magiſtri Fidei profeſſionem emiſerit, ab eoque facultatem habuerit litteris ab eodem ſubſcriptis. Id quod etiam inter alia legitur paſſim in Edictis, quæ recens creati Magiſtri Sacri Palatii promulgare ſolent, eorumque exemplum legi poteſt apud Fontanam in citato toties Syllabo pag. 18. & ſeqq. ubi deſcribit Edictum a Raimundo Capiſucco Sacri Palatii Magiſtro editum die XVIII. anni MDCLIV. menſis Novembris. Cæterum ſicut cæteræ fere omnes piæ laicorum Societates Romæ ſuum habent Cardinalem Protectorem, & Prælatum qui Primicerius dicitur, ita quoque ipſi Bibliopolarum So-

cietati, eorumque Eccleſiæ Cardinalis Protector, & Magiſter Sacri Palatii præſunt, quorum tamen alter ſummam habet in ipſam Bibliopolarum Societatem jurisdictionem, ut dictum eſt, quæ tamen in aliis Prælatis deſideratur.

C A P. XIII.

Recenſentur duo Diplomata, alterum Eugenii Papæ IV. alterum ſequiorum Pontificum, quo novus Sacri Palatii Magiſter inſtitui ſolet I. & II.

I. NEquid in hoc Libro deſiderari poſſit, e re noſtra eſſe duximus duo hoc loco Diplomata deſcribere, alterum Eugenii Papæ IV. ad Fr. Joannem de Turrecremata, quo inſignia privilegia referuntur, quibus Magiſtri Sacri Palatii decorari ſolent, datum III. Kalendas Novembris anno MCDXXXVII. alterum vero ſequentium Romanorum Pontificum, quo creari ſolet novus Magiſter Sacri Palatii. Quamquam autem de utroque non uno in loco hujus I. Libri fecerimus mentionem, operæ tamen pretium duximus Diplomata ipſa peculiari hoc Capite integra deſcribere. Sic ergo primum inſcriptum eſt, legiturque apud Fontanam in Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii, pag. 4. & ſeqq. atque in Bullario Dominicano, quod ordinavit, Notiſque illuſtravit Cl. Fr. Antoninus Bremond nunc Ordinis ſui Prædicatorum Generalis Magiſter To. III. pag. 81.

EUGENIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio Joanni de Turrecremata Ordinis Prædicatorum in Sacra Pagina Profeſſori, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum ex pluribus virtutibus tuis, quibus famæ laudabilis teſtimonio commendabaris a nobis poſtmodum experientia comprobatis, te Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtrum cum officio, exercitio, emolumentis, honoribus, & privilegiis conſuetis deputavimus, prout in Litteris Apoſtolicis ſuperinde confectis latius continetur. Cum au-

autem ſcientia, virtutes, & probitas tuæ nobis, Sedi Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ plurimum per hæc tempora fuerint fructuoſæ, cupientes eiſdem, ut tenemur, aliquali ex parte retribuere, & commiſſum tibi Magiſterium propter te in conſuetis honoribus reintegrare, ac novis honorare, ut in Capella noſtra, dum Divina celebrantur officia, ac in publicis, & generalibus Conſiſtoriis, & aliis publicis actibus, tu, & ſucceſſores tui, immediatum poſt dilectum filium Decanum dilectorum filiorum Capellanorum noſtrorum, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum, qui in obſequio Mitræ pro tempore nobis miniſtrat, teneatis, & habeatis; quodque eos, qui in dicta Capella coram nobis ſermocinaturi erunt, vos pro data vobis a Domino prudentia Viros doctos, & ſcientia, & ſermocinandi peritia præſtantes, qui materiam, de qua ſermonem facturi erunt, vobis manifeſtare teneautur, quibuſque ſermones pro tempore, & feſtivitatum occurrentium imponere poſſitis, valeatis, atque debeatis. Inſuper cum juxta antiquam laudabilem conſuetudinem omnes in Theologia doctorandi in Romana Curia non niſi ab hujuſmodi Magiſtro Sacri Palatii legendi licentiam pro forma Magiſterii, & inſignia ejuſdem ſuſcipere conſueverint quod nullus inpoſterum, Univerſitate Civitatis, in qua Curiam eſſe contigerit, dumtaxat excepta, poſſit legere, vel in Theologia in prædicta Romana Curia per aliquem doctorari, ſed vos viros ſæculares, conſiderata peritia, & vitæ honeſtate, aliiſque ad id requiſitis: Religioſos vero de ipſorum Generalium licentia, ſi erunt digni & idonei, ad lecturam ſcientiarum, & Bibliæ promovere, ac Bacchalaureos inſtituere poſſitis, & lectura completa, habito proborum Magiſtrorum, quos decreveritis aſſumendos, privato examine, prædicta Magiſterii inſignia eis dare, & concedere, ut ſic Magiſtrati gratiis, & privilegiis, quibus alii Theologiæ profeſſores gaudent, ipſi etiam uti, & gaudere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Volentes, & auctoritate pradicta declarantes, ut omnes tui in dicto officio Succeſſores, ac illi, quos in veſtrum locum

Digitized by Google

cum, quoties pro factis Eccleſiæ, aut alia emergente cauſa vos contigerit a Curia abſentare, de noſtra licentia ſubſtituere decreveritis, quibuſcumque privilegiis, & indultis ſupra conceſſis uti valeant, & gaudere. Conſtitutionibus Apoſtolicis, privilegiiſque, quibusvis perſonis, aut Univerſitati ſub quavis verborum forma conceſſis, de quibus etiam de verbo ad verbum habenda eſſet mentio ſpecialis, ac aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. Datum Bononiæ MCCCCXXXVII. III. Kal. Novembris Pontificatus noſtri anno VII.

II. Quod Diploma alterum ſpectat, quo novus Magiſter Sacri Palatii ſolet inſtitui, legitur & ipſum apud laudatum Fontana citato loco pag. 34. ubi recenſet Apoſtolicas Litteras Innocentii Papæ X. datas die XIII. Novembris anno MDCLIV. quibus Fr. Raimundum Capiſuccum, qui tunc erat Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, Sacri Palatii Magiſtrum renunciavit.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum Officium Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici certo ad præſens, quem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, modo vacaverit, & vacet ad præſens. Nos te, qui officio Secretarii Congregationis noſtræ Indicis hactenus laudabiliter functus fuiſti, ac unus ex examinatoribus promovendorum ad Cathedrales Eccleſias exiſtis, quique pietate, prudentia, & Sacrarum litterarum ſcientia, aliiſque virtutum ornamentis præſtas, & quem propterea judicio diverſorum Auctorum libris, & ſcripturis cenſendis plurimum valere non dubitavimus, ad idem officium, quod te ſumma fide, & diligentia adminiſtraturum confidimus, eligendum duximus. Te igitur ejuſdem Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum cum authoritate, facultate, honoribus, & oneribus, & manſionibus in Palatio noſtro Apoſtolico, portione, & emolumentis ſolitis, & conſuetis ad tui vitam facimus, conſtituimus, & deputamus; mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ut te ad prædictum officium recipiant, & admittant, tibique faveant, & aſſi-

ſtant,

ſtant, ac de proviſione, & emolumentis hujuſmmdi provideant, & reſpondeant. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XIII. Novembris MDCLIV. Pontificatus noſtri Anno XI.

Hactenus Pontificiæ Litteræ, in quarum tergo ita legitur: *Dilecto Filio Raimundo Capiſucco Ordinis Prædicatorum Profeſſori, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.*

C A P. XIV.

De teſtandi facultate conceſſa aliquando a Summo Pontifice Magiſtris Sacri Palatii I. & II.

I. Quamquam ex Conciliis, Apoſtolicisque Conſtitutionibus cautum ſit, ut nullus in Regulari Ordine conſtitutus, ac tribus votis ligatus in Religione approbata, condere teſtamentum poſſit, cum nihil habeat ſuum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum, donati nihilominus fuere non ſemel a Summis Pontificibus Sacri Palatii Magiſtri, qui Prædicatorum Ordinem profeſſi ſunt, ſingulari privilegio, ſingulari teſtamenti ſcribendi licentia. Extat Tomo II. Bullarii Dominicani, pag. 609. Martini Papæ V. Diploma datum Vicovarii Tiburtinæ Diœceſis die 1. Septembris anni MCDXXII. ad Joannem de Caſanova Magiſtrum Sacri Palatii, quo ei facultatem teſtandi concedit: *Quia præſentis vitæ conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea quæ viſibilem habent eſſentiam, tendunt viſibiliter ad non eſſe: tu hoc ſalubri meditatione præmeditans, diem tuæ peregrinationis extremum, diſpoſitione ſuprema deſideras prævenire. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu, qui etiam minor Pœnitentiarius noſter, ac in Scholis Palatii noſtri Apoſtolici Magiſter exiſtis, de bonis mobilibus a te, tam per Eccleſiam, videlicet ratione Beneficiorum Eccleſiaſticorum quæ ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis obtinere dignoſceris, quam alias quomodocumque licite tamen acqui-*

acquiſitis, quæ Altaris, vel Altarium ipſorum Beneficiorum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali eorundem divino cultui, vel uſui non fuerunt deputata, pro decentibus, & honeſtis expenſis funeris tui, & pro remuneratione illorum, qui tibi viventi ſervierint, ſive ſint tui conſanguinei, ſive alii, juxta ſervitii meritum, uſque ad ſummam mille florenorum auri de Camera diſponere, & erogare poſſis, & valeas, prius tamen de omnibus prædictis bonis ære alieno, & his, quæ pro reſtaurandis domibus, & ædificiis conſiſtentibus in locis dictorum Beneficiorum culpa, vel negligentia tua, ſeu tuorum Procuratorum deſtructis, ſeu deterioratis, necnon reſtaurandis aliis juribus eorundem Beneficiorum deperditis ex culpa, vel negligentia ſupradictis, fuerint opportuna, deductis, in pios uſus, ac licitos convertere valeas, non obſtantibus, quod Ordinis Prædicatorum Profeſſor exiſtis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcumque, devotioni tuæ plenam, ac liberam auctoritate præſentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod in eorundem diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga prædicta Beneficia te liberalem exhibeas, prout conſcientia tibi dictaverit, & ſaluti animæ videris expedire.

II. Hactenus Diploma Martini Papæ V. in quo plura notatu digna lector ſtudioſus inveniet, quæ longum eſſet hic explicare. Certe obtinuere paſſim hanc teſtandi facultatem a Summis Pontificibus Magiſtri Sacri Palatii ſequioris ævi, & noſtro hoc tempore, ut alios mittam, F. Joannes Benedictus Zuannelli, & F. Nicolaus Ridolfi, & primus quidem a Clemente Papa XII. alter vero a Regnante Summo Pontifice BENEDICTO XIV. ſed neuter ea facultate uſus eſt, quum ille totum Fr. Thomæ Ripoll tunc Magiſtro Ordinis, hic F. Antonino Bremond, qui ſumma cum laude eidem Ordini præeſt, arbitrio ſubjecerit. Apoſtolicum Diploma, quo memoratus BENEDICTUS Papa XIV. Ridolfio facultatem teſtandi conceſſit, legimus nos apud laudatum Fr. Antoninum Bremond, qui Ridolfium ob ejus egregias animi dotes ſumme ſemper dilexit.

CAP.

CAP. XV.

De Funere Magiſtri Sacri Palatii, ac primum de ejus cadaveris lotione, atque delatione ad Eccleſiam I. De exequiis, ac oratione funebri, & aliis ritibus II. & III.

I. QUum Magiſter Sacri Palatii reputetur unus ex Romanæ Curiæ Præſulibus, uti ſuperius oſtenſum fuit, hinc eſt, quod ejuſdem funus vel olim ſolemni cum pompa peragi conſueverit, uti non obſcure nos docet Martini Papæ V. Diploma editum anno MCDXXII. die 1. Septembris, quo Joanni de Caſanova Sacri Palatii Magiſtro facultatem teſtandi concedit de redditibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quibus ſcilicet ratione muneris ſui a Summis Pontificibus obtinuerat, *pro decentibus, & honeſtis expenſis funeris &c.* Sane vita functo Magiſtro Sacri Palatii, a Fratribus Converſis Ordinis Prædicatorum, ex antiquo Eccleſiæ ritu, & peculiari ejuſdem Ordinis Rituali, corpus illius lavatur, veſtibuſque, quibus Dominicani uti ſolent, induitur, Stola a collo violacei coloris pendente, & bireto nigri coloris in capite, adjunctis prætera calceamentis, quæ cæteris Fratribus Dominicanis vita functis poni haud ſolent juxta eorum Ritualis præſcriptum. Induto cadavere, uti dictum eſt, in illius ædibus continenter a Fratribus ſuis Pſalmi, ac preces, quas Roſarium vocant, recitantur. Deinde circa horam primam noctis Proceſſio funebris inſtituitur, cui Dominicani fere omnes omnium Cœnobiorum Urbis interſunt, deferturque cadaver ad Templum S. Mariæ ſuper Minervam, cum duodecim torticiis accenſis, quæ duodecim Fratres geſtant, quatuor aliis manu tenentibus culcitræ fimbrias e feretro pendentes; comitantur autem funus duo Parochi, alter SS. Vincentii & Anaſtaſii, ſi ille in Palatio Quirinali obiit, alter vero prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ ad Minervam.

II. Ubi ad ipſam Eccleſiam ventum eſt, cadaver ſuper altum lectum aurea culcitra tectum in medio Templi, quod atris pannis coopertum eſt, affixis in iis defuncti Magi-

giſtri gentilitiis ſtemmatibus, & imaginibus mortis, collocatur, pendente ad pedes Prælatitio Pileo, uti fieri aſſolet aliis Romanæ Curiæ Præſulibus, quibus ſolemnes in Eccleſia exequiæ celebrantur. Circa defuncti corpus quadraginta torticia quatuor librarum quodlibet collucent, ad Aram vero maximam ſex. Solemnem Miſſam celebrat aliquis Religioſus ex inſignioribus ejuſdem Ordinis, eaque finita, oratio funebris in defuncti Magiſtri laudem recitatur ut plurimum ab aliquo extero. Teſte Fontana in Syllabo, pag. 162. in exequiis Nicolai Riccardii Magiſtri Sacri Palatii, qui obiit Romæ die xxx. Maji anni MDCXXXIX. *in Riccardii laudem funebrem orationem habuit P. Melchior Inchoffer Societatis Jeſu nobile germen, Vir eruditiſſimus, & Sacræ Congregationis Indicis Conſultor, quam maximo cum auditorum plauſu ſequenti periodo terminavit*: Hoc unum dixiſſe ſufficiat: Quo die Nicolaum Riccardium funeravimus, ſolem oculum mundi deliquio lucis ſuæ luxiſſe atratum. *Contigit enim illa die Solis Eclypſis*. Noſtro hoc tempore in exequiis duorum Magiſtrorum Sacri Palatii, F. Joannis Benedicti Zuanelli, & F. Nicolai Ridolfi elegantes orationes recitavit eruditiſſimus Pater Bernardus a S. Guillelmo Clericus Regularis Scholarum piarum, quæ etiam deinde typis impreſſæ fuere.

II. Funebri oratione peracta, ſolemnis fit Abſolutio, cui Fratres omnes Cœnobii interſunt, & corpus ſepulturæ mandatur juxta ritum Fratrum Prædicatorum.; ac plerumque etiam marmorea inſcriptio in memoriam defuncti Sacri Palatii Magiſtri in pavimento Templi apponi ſolet, uti videre eſt in Templo S. Mariæ ſuper Minervam, ubi potiſſimum prope Altare S. Dominici, multæ legi hujuſmodi inſcriptiones poſſunt, quarum aliquas referemus nos Libro II, ubi ſeriem Magiſtrorum Sacri Palatii, ac eorum geſta referemus. Sane unum reſtat, quod adnotemus, conſueviſſe aliquando de licentia Papæ, corpus defuncti Magiſtri non quidem ſolemni Fratrum Proceſſione ex Apoſtolico Palatio ad Eccleſiam deferri, ſed curru vehi, uti accidit in Funere laudati Zuanelli ex permiſſu Clementis XII.

LI-

Digitized by Google

LIBER II.

DE MAGISTRO SACRI PALATII APOSTOLICI

In quo ſeries eorum deſcribitur, qui Magiſterium ipſum ad hunc uſque diem obtinuerunt.

CAP. I.

De S. Patriarcha Dominico Ordinis Prædicatorum Inſtitutore, & primo Sacri Palati Apoſtolici Magiſtro.

I. SAnctum Dominicum Ordinis Prædicatorum Inſtitutorem, fuiſſe primum Sacri Palatii Magiſtrum, ejuſque munus hæſiſſe ſemper eidem Ordini ad hæc uſque tempora, ſerie non interrupta, jam nos Lib. I. Cap. I. oſtendimus, allatis antiquis monumentis, oſtendemuſque nunc iterum clarius præſenti Libro II. ubi per varia Capita continuatam Magiſtrorum Sacri Palatii ſeriem ex laudato Prædicatorum Ordine ad eam ampliſſimam dignitatem aſſumtorum, eorumque geſta referemus, ſequentes ordinem, quantum fieri poteſt, Vincentii Fontanæ, qui Syllabum ipſorum Magiſtrorum conſcripſit, ediditque in lucem Romæ anno MDCLXIII. Lapſus eſt Vir cæteroqui doctus in multis, quæ nos, ubi ſe ſe præbebit occaſio, notabimus, & aliorum monumentorum ope corrigemus. Utemur autem præ cæteris celeberrimo Ordinis Prædicatorum Bullario, quod non ſine Virorum doctorum ſtupore, ordinavit, notiſque illuſtravit eximius ac præſtantiſſimus Scriptor Pater F. Antoninus Bremond Socius primum Reverendiſſimi P. Generalis F. Thomæ Ripoll pro Galliæ Regnis, Caſanatenſis Collegii Theologus, nunc vero ipſe ejuſdem inclyti Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter.

II. Sed ut aliquid de S. Dominico dicamus, qui, ut dictum eſt, primus Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter fuit, anno MCLXX. Calarogæ in Hiſpania natus eſt ex nobiliſſima Guzmanorum familia, uti ex variis certiſque monumentis non ita pridem adverſus Bollandianos oſtendit doctiſſimus Bremond, peculiari Libro edito de Stirpe Guzmana S. Dominici. Hujus mater gravida, ut ejus Vitæ Auctores, & Breviarium Romanum die IV. Auguſti referunt, ſibi viſa eſt in quiete continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. Matri quoque ſuæ, ut in ejuſdem Vita ait Jordanus, qui poſt S. Dominicum Magiſter Generalis Prædicatorum Ordinis fuit, *in viſione velut ſtellam habens in fronte a Deo cælitus eſt oſtenſus*. Hinc factum eſt, ut ipſe Prædicatorum Ordo in ſuo Stemmate ſtellam, & canem facem accenſam ore tenentem poſuerit. Adoleſcens Palentiæ liberalibus diſciplinis, & Theologiæ operam dedit, eoque in ſtudio cum plurimum profeciſſet, prius Oxomenſis Canonicus Regularis, deinde Ordinis FF. Prædicatorum Auctor fuit.

III. Tanti Viri ingenium, ac virtus maxime enituit in evertendis hæreticis, qui pernicioſis erroribus Toloſates pervertere nitebantur, ſeptemque annis in eo negotio conſumtis, Romam venit cum Fulcone Epiſcopo Toloſano ad Generale Concilium IV. Lateranenſe, anno MCCXV. ut Ordo quem inſtituerat ab Innocentio III. confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione verſatur, vidit Pontifex proxima nocte Eccleſiam Lateranenſem gravem minitari ruinam, Virum autem Dei Dominicum ſuis humeris eam ſuſtentantem. Itaque juſſit mox ei Pontifex, ut ad ſuos reverſus ſibi Regulam aliquam ex approbatis deligeret, quod & fecit, Romamque rediens ab Honorio III. qui proxime Innocentio III. ſucceſſerat, confirmationem Ordinis ſui Prædicatorum obtinuit anno MDXVI. Quo tempore nomen ipſum Prædicatorum Dominicanis Fratribus inditum fuerit, docet Stephanus Salanachus Auctor coævus S. Dominici in Tractatu, *De glorioſo Nomine Prædicatorum*, Cap. I. & ex eo eruditiſſimus Bremond, Tomo I. Bullarii Dominicani in

Digitized by Google

in Nota III. ad Conſtitutionem III. Honorii Papæ III. ajentes, nomen ipſum ſuam traxiſſe originem a laudato Innocentio Pontifice III.

IV. Primum in Eccleſia Inquiſitorem fuiſſe S. Dominicum ab eodem Innocentio III. contra hæreticam pravitatem delegatum, jam nos alias diximus, dicemuſque iterum fuſius in Opere, quod edituri ſumus in lucem inſcriptum, *De Commiſſario Sancti Officii*. Roſarium a B. Virgine Deipara acceptum Chriſtifidelibus omnium primum annunciaſſe S. Dominicum, ipſumque veluti hæreditario jure alumnis ſuis in populis promovendum reliquiſſe, recte admodum tradit Fontana in Syllabo pag. 63. Ut enim legitur in Breviario Romano die 1. Dominica Octobris in Feſto SS. Roſarii; S. Dominicum ejuſdem Inſtitutorem, Authoremque fuiſſe, Summi Pontifices Apoſtolicis Litteris paſſim affirmarunt. Sed de his, & aliis S. Dominici prærogativis legendus memoratus Bremond in Bullario ſui Ordinis Prædicatorum, & in Annalibus ejuſdem Ordinis, quos ſummo labore, ac ſtudio concinnavit, editurus illos quantocius in publicam lucem.

V. Cæterum Sanctus Dominicus poſt obtentam anno MDCCXVI. ab Honorio Papa III. ſui Ordinis confirmationem cum in Urbe quotidianas ad populum conciones haberet, ſingularique totius Curiæ Romanæ acclamatione audiretur, ab eodem Pontifice, cui Sancti Viri pietas & Doctrina perſpectæ erant, ob cauſam ſupra Lib. I. Cap. I. enarratam anno MCCXVIII. ait Fontana, inſtitutus fuit Sacri Palatii Magiſter. Quod munus cum per tres annos S. Pauli Epiſtolas in Sacro Palatio commentatus cum ſui laude maxima impleviſſet, inſtantibus Generalibus Comitiis, Bononiam anno MCCXXI. profectus eſt, in quibus ea, quæ naſcenti Ordini congrue judicabantur, ſancita fuere. Abſolutis Comitiis aliiſque ad Rei gloriam peractis, Bononiæ ſub finem Julii febre correptus, migravit in Cælum die VI. Auguſti anno Chriſti MCCXXI. quem deinde Gregorius IX. Sanctorum Faſtis adſcripſit, Conſtitutione edita Reate die III. Julii anni MCCXXXIV. quam legere eſt Tomo I. Bullarii.

CAP.

Digitized by Google

C A P. II.

De F. Bartholomæo de Bragantiis, poſtea Epiſcopo Nimoſienſi, & deinde Vicentino.

I. TRadit Fontana in ſuo Magiſtrorum Sacri Palatii Syllabo pag. 64. poſt Sanctum Dominicum, Sacri Palatii Magiſterium obtinuiſſe B. Bartholomæum de Bragantiis, ſeu de Bregantiis, ut eum alii appellant, Vicentinum, ejuſdem S. Patris dilectum diſcipulum, ſanguinis nobilitate, doctrinæ præſtantia, vitæque Sanctimonia illuſtrem, quem poſtmodum Innocentius IV. Nimoſienſem Epiſcopum in Cypro creavit, datis Peruſii Apoſtolicis Litteris ſui Pontificatus anno II. ſalutis vero MCCXXXXVI. ut in ejuſdem Vaticanis Regeſtis Epiſtola CXI. habetur, illumque idem Pontifex ſuis manibus conſecravit, & in Syriam Legatum de Latere ad Sanctum Ludovicum Galliæ Regem anno MCCXXXXVIII. miſit.

II. Sacri Palatii Magiſterio functum Bartholomæum, ferunt jam & alii communiter, libenſque eam opinionem admittit eruditiſſimus Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MCCLXX. Verum S. Dominico proxime ſucceſſiſſe, non tantam Fontanæ fidem habendam eſſe ait, tum præſertim, quod ejus tunc non videatur fuiſſe ætatis, ut munus illud poſſet pro dignitate implere. Sic enim ipſe in teſtamento ſuo, quod condidit die XXIII. Septembris, ſervaturque Vicentiæ apud Dominicanos, & ex parte editum fuit a Barbarano in Hiſtoria Eccleſiæ Vicentinæ, inter alia inquit: *In quo Ordine*, Prædicarorum ſcilicet, *ab infantia nutriti, & diſciplina, & moribus ſub obſervantia noſtri Inſtitutoris Ordinis B. Dominici eruditi, & informati fuimus &c.* Id itaque ad annos poſteriores prorogandum. Certe Ugellus in ſua Italia Sacra hoc munere functum Bartholomæum ſub Pontificatu Gregorii IX. refert, quod veroſimilius de hujus Pontificis annis poſterioribus intelligi poteſt, inter annos nempe MCCXXXV. & MCCXXXXI. & forte ultra ad Innocentium IV. ut putat laudatus

Digitized by Google

datus Echard, qui etiam mox ſubdit, ab Innocentio IV. circa annum MCCL. creatum fuiſſe Bartholomæum Epiſcopum Nimoſienſem in Cypro inſula, Eccleſiamque ſuam acceſſiſſe, cum S. Ludovicus IX. Galliæ Rex jam adverſus Idumæos, & Saracenos in Terræ Sanctæ ſubſidium exercitum moverat, & transfretaverat.

III. Utramque opinionem, tum Fontanæ, tum Echardii, de anno promotionis Bartholomæi de Bragantiis ad Epiſcopatum Nimoſienſem, ſive, ut alii ſcribunt, Nimocienſem, refellit quidem doctiſſimus Dominicani Bullarii Auctor Antoninus Bremond, Tomo I. in appendice ad Conſtitutiones Innocentii Papæ IV. pag. 263. ubi ait, ſibi non arridere eorum ſententiam, qui Bartholomæum anno vel MCCXXXXVI. vel MCCL. Epiſcopum Nimocienſem dixerunt, probatque ex teſtimonio ipſius Bartholomæi, qui in Inſtrumento, quod exſcripſit Echardius mox laudatus, hæc habet: *Rex Chriſtianus cum Regina, & fere tota Domo Regia Chriſtianæ Religionis amore mare tranſiit tempore quo nobis licet indignis Nimonicenſis*, ſeu Nimocienſis, *Civitatis, quæ in Regno Cypri eſt, Pontificatum Apoſtolica Sedes contulit*. Anno ſcilicet MCCXXXXVIII. quo S. Ludovicus iter habuit tranſmarinum, ut idem clariſſimus Bremond docet in Annotatione VI. ad Conſtitutionem CXCIX. laudati Innocentii IV. quæ incipit, *Ut voventes*, data die XXII. Junii, anno MCCXXXXVIII.

IV. Multo minus ii Auctores audiendi ſunt, qui anno MCCXXXXVI. vel MCCL. ex Nimocienſi Vicentinum Epiſcopum Bartholomæum fuiſſe volunt. Id enim contigit ſub Pontificatu Alexandri IV. nam alias liquet ex Bulla memorati Innocentii IV. quæ incipit, *Cum nonnullos*, & legitur citato I. Tomo Bullarii Dominicani, pag. 227. Bartholomæum anno MCCLIII. quo datæ ad ipſum ſunt Pontificiæ Litteræ, Nimocienſi Eccleſiæ præfuiſſe. Cæterum ſiquis objiciat, Apoſtolicis Litteris datis Perusii, V. Idus Februarii, Pontificatus Innocentii IV. anno IV. Bartholomæum creatum fuiſſe Nimocienſem Epiſcopum, ut cenſet Fontana in Theatro Dominicano Parte I. Titulo CCCCXIII. firma, facilis

cilis eſt, & promta reſponſio eruditiſſimi Bremond. Cum enim Innocentius IV. ab anno II. Pontificatus ad VIII. Lugduni fuerit, ut conſtat ex Bullis ſuperius exſcriptis, certo certius fit, mendum irrepſiſſe, & emendandam eſſe diem adſcriptam hujus Diplomatis, quod datum fertur ab Innocentio IV. Peruſii, V. Idus Februarii, Pontificatus ſui anno IV. ideſt die IX. Februarii anno Chriſti MCCXXXXVII. non vero MCCXXXXVI. ut autumat Fontana iſtud quoque mendum ad aliud attexens.

V. Nequid hic omittamus, quod de chronologica Magiſtrorum Sacri Palatii ſerie alii ſcripſerunt, Jacobus Echard Auctor doctiſſimus Dominicanus indicem & ipſe ordinavit ipſorum Sacri Palatii Magiſtrorum, quem præfixit Tomo I. Scriptorum Ordinis ſui Prædicatorum pag. XXI. in eoque poſt S. Dominicum, qui fuit primus Magiſter Sacri Palatii, recenſet quidem B. Bartholomæum de Bragantiis, tum vero Gaufridum de Blevello ſub Innocentio IV. Lugduni commorante, ac deinde B. Albertum Magnum ſub Alexandro IV. annis MCCLV. & MCCLVI. Certe quicquid ſit de Blevello, de cujus Magiſterio in Sacro Palatio nulla extant monumenta, eo munere functum fuiſſe B. Albertum Magnum, ſaltem quandiu Romæ commoratus fuit, Alexandro IV. Papa, a quo fuit ille Romam vocatus, nonnulli aſſerunt, teſte Echard citato Tom. I. ad annum MCCLXII. pag. 168. quia ſcilicet ſeculo ipſo XIII. Magiſtri Sacri Palatii officium Lectione præſertim Scripturæ in Scholis Sacri Palatii concludebatur, in quibus ajunt legiſſe Albertum, eiſque præfuiſſe: Imo & putat Petrus de Pruſſia in ejuſdem B. Viri Vita, Cap. XXXII. primum fuiſſe Albertum Lectorem Sacri Palatii, & ejus occaſione eveniſſe, quod hoc munus in Ordine Prædicatorum habeatur. Sed iſta laus S. Patriarchæ Dominico Prædicatorum Ordinis Inſtitutori non auferenda, cum jam fuſe probatum ſuperius fuerit, ipſum Sanctum Dominicum fuiſſe omnium primum Sacri Palatii Magiſtrum, eique non interrupta ſerie illius alumnos ad hæc uſque tempora cum laude ſucceſſiſſe novis ſemper privilegiis, quod optime eo munere fungerentur, donatos.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

De Anibaldo Anibaldenſi poſtea S. R. E. Cardinali.

I. IN B. Bartholomæi locum ſcribit Fontana in ſuo Syllabo, pag.67. ſuffectum fuiſſe ab Innocentio IV. Pontifice *F. Anibaldum Anibaldenſem Sacri Palatii Magiſtrum*. Sed hoc Fontanæ aſſertum refellit Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum ſui Ordinis Prædicatorum ad annum MCCLXXII. pag. 261. ubi ſic inter alia de ipſo Anibaldo ſcribens, inquit: *Fontanæ conatus in recenſendis Sacri Palatii Magiſtris a B. Dominico ſane laudandus, & in ultimis ſeculis ſat rectus, at in prioribus non ad chronologiæ leges limatus, & in multis elimandus, ut paſſim in hoc Opere oſtenditur; & certe fallitur in hoc noſtro Hannibaldo, quem tertium vult a B. Dominico illo munere functum, ac B. Bartholomæum de Bregantiis ab Innocentio IV. anno MCCXLVI. ſuffectum. Quibus ſubſcribere non poſſum, cum junior tum eſſet Hannibaldus, vixque forte Theologiæ operam dare cœpiſſet. Certe omnia eum demonſtrant Thoma de Aquino poſteriorem. Hic autem tum Pariſiis Alberti Magni erat Auditor, ubi forte tum ſtudebat ipſe Hannibaldus. Præterea hunc ipſe Fontana Pariſienſi laurea ornatum ſtatuit, priuſquam ad illud munus eveheretur. Certum autem eſt, nonniſi poſt Thomam de Aquino, ac proinde circa annum MCCLVIII. licentiatum. Unde recte inferas cum Dupinio, ſub finem Pontificatus Alexandri IV. anno forte MCCLX. Pariſiis rude donatum, & Romæ reducem ſacras Litteras in Palatio Apoſtolico interpretari cœpiſſe, uſquequo ab Urbano IV. ad Purpuram allectus eſt.* Hactenus laudatus Echard, qui etiam in Indice Magiſtrorum Sacri Palatii præfixo Tomo I. pag. XXI. ita ſeriem ordinavit ſuam, ut nempe Bartholomæo de Bragantiis ſucceſſerit Gaufridus de Blevello ſub Innocentio IV. Lugduni morante, Blevello Beatus Albertus Magnus ſub Alexandro IV. annis MCCLV. & MCCLVI. Alberto Magno Guillelmus Bonderiſhinenſis ſub eodem Pontifice, & deinde Bonderiſhi-

nenſi Anibaldus circa annum MCCLIX. ad annum MCCLXI.

II. At vero quantum poſſumus, ſequemur nos Fontanæ ſeriem, omiſſiſque Blevello, & Alberto Magno, præpoſuimus Bonderishinenſi Anibaldum, de quo in præſenti loquimur. Cæterum Cardinalem fuiſſe Anibaldum & quidem Tituli XII. Apoſtolorum, conſentiunt omnes, qui de Cardinalibus ſcripſere; ſed de anno tamen inter ſe diſſident. Ciaconius, & Frizonius anno MCCLXIII. Oldoinus vero anno MCCLXII. Anibaldum Cardinalem creatum eſſe cenſent. Scitiſſime advertit doctiſſimus Bremond Tomo I. Bullarii in Appendice ad Conſtitutiones Urbani IV. pag. 447. audiendum eſſe præ cæteris Stephanum de Salanacho Auctorem coætaneum, cujus hæc ſunt verba: *F. Annibaldum Romanum Magiſtrum in Theologia aſſumpſit in Preſbyterum Cardinalem Baſilicæ XII. Apoſtolorum D. Urbanus Papa IV. anno Domini MCCLXI.* Fuiſſe etiam Anibaldum Magiſtrum Sacri Palatii, tradit etiam Ciaconius Tomo II. ubi recenſet Cardinales a laudato Urbano Papa IV. creatos, Num. XIII. col. 162. &noviſſime accuratus Scriptor Antonius Touron in Hiſtoria Virorum illuſtrium Ordinis S. Dominici Gallica lingua exarata, & Italice reddita ab Anonymo Religioſo ejuſdem Ordinis, qui eſt doctiſſimus Joſephus Auguſtinus Orſi nunc Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, Tomo II. pag. 119. ubi geſta Anibaldi, quem vocat Anibalem Anibaldum, deſcribit. Fatetur enim & ipſe, inſignitum fuiſſe Anibaldum Magiſterio Sacri Palatii, non ab Innocentio IV. ut credidit Fontana, ſed ab Alexandro IV. labente anno MCCLX. ſeu anni ſequentis initio. Plura de hoc Anibaldo dicemus nos Deo dante in Vitis Summorum Pontificum, & S.R.E. Cardinalium ex Ordine Prædicatorum aſſumtorum, ſatiſque eſt hoc loco referre, quod de eodem ſcribit Fontana, poſt diuturnum ſcilicet annorum duorum novemque menſium Romani Pontificatus Interregnum, ut Gregorius X. eligeretur, non modicum inſudaſſe, ſub eoque in Urbe Veteri obiiſſe anno MCCLXXII. in S. Dominici Templo cum hoc brevi elogio conditum.

Ur-

Digitized by Google

Urbs genetrix, genus Anibalum, ſors Preſbyter, Ordo
Dominici, fons divinus, Prælatio Cardo,
Quem decorat Titulo duodenus Apoſtolorum.

CAP. IV.

De F. Guillelmo Bonderishinenſi.

I. PRomoto ad Purpuram Anibaldo, *in ejus locum*, inquit Fontana pag. 69. *Sacri Palatii Magiſter renunciatus fuit P. F. Guillelmus Bonderinenſis ab Urbano IV. anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio.* Tum vero iterum paulo poſt ſubjicit: *Pariſiis cum Petro de Tarantaſia, qui ad Pontificatum ſub Nomine Innocentii V. aſcendit anno MCCLXXVI. & Cardinali Anibaldenſi ſtudiis vacavit, quo procurante, poſt diverſas in ſua Provincia Conventuum obitas Præfecturas, Sacri Palatii Magiſterium obtinuit, in quo pluribus annis cum ſui nominis, & Ordinis laude præfuit. Vixit in hoc munere uſque ad annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum ſextum, e vivis ereptus antequam collegæ ſui Petri de Tarantaſia aſſumptionem ad Pontificatum cerneret.* Ita ille, cui & alii Dominicani Scriptores adhærent, quos Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum citat Echard ad annum MCCLXX. pag. 259. optandumque eſſe inquit, *ut illi vetera ejus ætatis monumenta produxiſſent.* Sed mirum eſt, non advertiſſe Echardium gravem Fontanæ lapſum, qui vix mereri veniam poteſt. Quomodo enim fieri poteſt, ut Bonderinenſis vixerit *in hoc munere*, Magiſtri ſcilicet Sacri Palatii, *uſque ad annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum ſextum*, ſi mox idem Fontana in ſequenti Magiſtro Sacri Palatii Petro Angellelio pag. 70. ſcribit, poſt Bonderinenſem eo Magiſterio donatum Angellelium Lucenſem, *a Gregorio X. Patriæ Epiſcopum electum fuiſſe die xiv. Maji anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo?* Sed his miſſis, Guillelmus ipſe Bonderinenſis, vel Boderishamenſis, ut ſcribit Pitſeus, vel Boderishinenſis, ut ait Echard, a Luſitano

Digitized by Google

no Dominicanis accenſetur Scriptoribus, diciturque natione Anglus, ac Sacri Palatii Magiſterium geſſiſſe ſub Urbano IV. agente Cardinale Anibaldo ejuſdem Ordinis, cujus etiam Pariſiis volunt fuiſſe in ſtudiis collegam, & ſodalem, mortuum vero circa annum MCCLXX.

II. Porro juxta ſeriem, quam ordinavit Echard in Indice Magiſtrorum Sacri Palatii præfixo Tomo I. Scriptorum Ordinis, pag. XXI. Guillelmus iſte Bonderinenſis, ſeu Bonderishinenſis ſucceſſit B. Alberto Magno, Bonderishinenſi vero Anibaldus, de quo dictum eſt Cap. III. & Anibaldo S. Thomas de Aquino ab anno MCCLXII. ad annum MCCLXVIII. huic autem B. Ambroſius Sanſedonius ab anno MCCLXIX. circiter ad annum MCCLXXV. Certe recte ait Jacobus Echard in memorato Indice Sacri Palatii Magiſtrorum, præfixo Tomo I. Scriptorum ſui Ordinis pag. XXI. non ita promtum eſſe dictu, quæ fuerit eorum ſeries, toto ſeculo XIII. ſed tamen cum ſeculo ipſo munus illud in Scholæ Romanæ, & Pontificiæ regimine, atque in publica Sacræ Scripturæ expoſitione potiſſimum contineretur, quos duplici officio functos certo nobis conſtat, hos inter Sacri Palatii Magiſtros, recenſeri merito poſſe memoratos Viros clariſſimos laudati Ordinis Prædicatorum alumnos B. Albertum Magnum, S. Thomam Aquinatem, & B. Ambroſium Sanſedonium, qui certe, ut alias dictum eſt, & Romanas Scholas rexerunt, & in iiſdem Sacram Scripturam expoſuerunt.

C A P. V.

De F. Petro Angellelio poſtea Lucæ Patriæ ſuæ Epiſcopo.

I. JAm ſuperius in præcedenti Capite lapſum Fontanæ confutavimus, quod ibi ſcripſerit, vixiſſe Guillelmum Bonderinenſem in munere Magiſtri Sacri Palatii uſque ad annum MCCLXVI. nunc vero ait agens de Petro Angellelio, ſuffectum hunc fuiſſe in illius locum a Clemente IV. & deinde a Gregorio X. Patriæ Epiſcopum electum fuiſſe *die xiv. Maji anno millesimo ducenteſimo ſeptua-*

ptuageſimo ſecundo. Porro Petrus iſte Angellelius ſic nuncupatus a Fontana pag. 70. poſt Ughellum Tomo I. *Italiæ Sacræ*, a Bernardo quidem Guidonis Lucanus a Patria ſimul & profeſſione dictus, cui fides potius adhibenda quam Rovettæ, qui ad annum MCCLXXI. contendit, & origine & votis fuiſſe Bononienſem. Ab utroque Auctore Fontana & Rovetta Magiſter Sacri Palatii ſub Clemente IV. fuiſſe aſſeritur, *in cujus argumentum*, ut verbis utar Echard Tomo I. ad annum MCCLXXIV. pag. 349. *utinam antiqua monumenta Vaticana præſertim produxiſſent*. Epiſcopum fuiſſe Lucanum, teſtatur laudatus Bernardus Guidonis, ad eamque Eccleſiam a Gregorio X. fuiſſe promotum die XIV. Maji anno MCCLXXII. tradit in citata ſua Italia Sacra Ughellus, & ex eo Fontana, qui etiam mox addit, ſequutum ipſum fuiſſe laudatum Pontificem Lugdunum ad Concilium Generale properantem, & poſt ejus celebrationem anno MCCLXXIV. ibidem obiiſſe, & apud Dominicanos ſuos fuiſſe ſepultum.

CAP. VI.

De F. Raymundo de Corſavino.

I. ITerum & hic labitur Fontana, cum ſcribit in ſuo Syllabo pag. 71. Sacri Palatii Magiſterium poſt Angellelii aſſumtionem ad Epiſcopatum Lucenſem a Gregorio X. anno MCCLXXII. obtinuiſſe P.F. Raymundum de Corſavino Aragonenſem. Non enim id dici poteſt, ſi admitteretur, quod idem Auctor dixit ſupra Capite IV. de Guillelmo Bonderinenſi, vixiſſe nempe ipſum in Magiſterio Sacri Palatii *uſque ad annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum ſextum*. Sed hic lapſus jam ſupra ſolide confutatus fuit. Addit Fontana, Raymundum ipſum Balearium inſularum a Martino Papa IV. primo Pontificatus anno, Chriſti vero MCCLXXXI. creatum fuiſſe Epiſcopum, eaque in dignitate ſupra quindecim annos laudabiliter vixiſſe. Meminit & hujus Epiſcopi doctiſſimus Bremond Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum in Appendice Conſtitutionum laudati

Pon-

Digitized by Google

Pontificis pag. 4. ubi etiam Cavalerium citans, diſerte ait de anno, quo Raymundus conſtitutus eſt Epiſcopus, Majoricenſis ſcilicet olim ſub Tarraconenſi, nunc ſub Archiepiſcopo Valentino.

C A P. VII.

De F. Hugone de Billon, poſtea S. R. E. Cardinali.

I. PLura de hoc Hugone notavit Clariſſimus Echard Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MCCXCVII. ubi etiam varios Scriptores refellit, ac præſertim Fontanam, qui in Theatro, & in Syllabo pag. 71. appellat eum Seguinum, cum dicendus ſit Hugo de Bilhonio; vel Billomo, ſeu Billiomo, ſive etiam Bilomio, ſic a natali loco ex ejus ætatis uſu nuncupatus, quod vernacule *Billon* antiquum eſt apud Alvernos, nobileque municipium, quinto circiter ad Clarummontem Provinciæ caput lapide. Claro fuit oriundus ſanguine, gente ſcilicet Ricelina inter ejus Regionis illuſtriores jam tum nominata, cujus etiam hodie clari eminent poſteri. Porro ex ea ſtirpe Hugo progenitus Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt, emenſiſque ſtudiis in Gymnaſio Pariſienſi, docuit poſtea in variis locis, & Conventibus ſui Ordinis. Anno MCCLXXXV. vel a Superioribus, vel ab ipſo Summo Pontifice Honorio IV. inquit laudatus Echard, accerſitus, Romam adivit, Theologiamque in Conventu S. Sabinæ profeſſus eſt. Sed & Sacri Palatii Magiſtrum egiſſe, veriſimillimum idem Auctor cenſet, *cum Honorius IV. ad S. Sabinam commoratus fuerit*. Hinc emendandus Fontana, qui ſcribit, delectum fuiſſe Hugonem Sacri Palatii Magiſtrum a Martino Papa IV. anno Domini MCCLXXXVIII. Fuiſſe a Nicolao IV. inter S.R.E.Cardinales Titulo S. Sabinæ relatum, præter Fontanam & alii paſſim Auctores referunt, quos citat Bremond Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum in Appendice ad Conſtitutiones prædicti Nicolai IV. Pontificis, pag. 35. Ex Titulo S. Sabinæ renunciatus deinde fuit a S. Cæleſtino V. Epiſcopus

pus Oſtienſis & Velitrinus, ut idem Bremond notavit in Appendice ad hujus Papæ Pontificatum. In Urbe tandem ſuum diem clauſit extremum, non anno MCCXCVII. ut refert Ferdinandus de Caſtiglio, ſed III. Kal. Jannuarii anni MCCXCVIII. ſedente Bonifacio Papa VIII. qui Fratri Nicolao Boccaſino, ejuſdem Ordinis alumno, qui fuit poſtea B. Benedictus Papa XI. Eccleſiam Oſtienſem, & Velitrenſem commiſit. Sepultus fuit Hugo in Titulo S. Sabinæ ante Aram maximam cum hoc Elogio, quod legitur apud Fontanam, Ciaconium, & alios.

Hugo vocatus homo fuit, & de Billionio
Poſt mortem clarum dedit hunc Alvernia charum.
Ordinis hic Frater, quippe dicat hunc bona mater
Edidit ad ſtudia doctorem Theologia.
Cui ſocios Petrum Paulum dat gratia Chriſti.

Multa alia dicemus nos in Opere noſtro, *De Vitis Pontificum & Cardinalium Ordinis Prædicatorum.*

C A P. VIII.

De F. Guillelmo Petri de Godino, poſtea S.R.E. Cardinali.

I. POſt Hugonem, inquit Fontana in ſuo Theatro, & Syllabo pag. 73. Pater F. Guillelmus (ſeu Villelmus, ut Galli dicunt) Petri de Godivo Bajonenſis Toloſanæ Diœceſis, & Pariſinus Doctor anno MCCLXXX. Sacri Palatii Magiſter renunciatus eſt. Verum, ut ſcribit Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum ſui Ordinis Prædicatorum ad annum MCCCXXXVI. pag. 591. *graviſſime fallitur Fontana in Theatro*, & etiam in citato Syllabo, *ubi Guillelmum vult jam ab anno MCCLXXXVIII. a Nicolao IV. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum aſcitum*, *qui vix ab anno ſuperiori Theologiam profiteri cœperat*, *quem proinde ex noſtra chronologia ſuperius relata*, *certiſſimaque utpote ex actis emendes*. Ergo, ut idem Echard docet, F. Guillelmus Petri de Godino, vel, ut ait Fontana, & alii, ſed corrupte, de Godivo, vir fuit ad ſenium vergente ſeculo XIII.

ſe-

Digitized by Google

ſequentique xiv. uſquequaque clariſſimus. Patria fuit Bajonenſis, ſive, ut ſcribunt alii, Bojacenſis, quod idem eſt, Civitate *Bajonne* vulgo dicta, in confiniis Galliæ, & Hiſpaniæ ortus. Adoleſcens ibidem Ordini Prædicatorum nomen dedit; ſtudiiſque emenſis, Pariſios accedens anno mcc civ. eodem anno licentiatus fuit, ac pro biennio Magiſterii, Sententias interpretatus eſt, & Studium rexit ad annum mcccvi. quo rude donatus, a Clemente V. Pontifice Maximo, cui eximiæ ejus dotes jam erant perſpectæ, accerſitus eſt, & Sacri Palatii Magiſter declaratus, & inſtitutus. Sic namque in Catalago Magiſtrorum Theologiæ apud Bernardum Guidonis legitur Num. lii. *F. Guillelmus Petri de Godino Bajonenſis de Provincia Toloſana licentiatus anno Domini MCCCIV. poſtea factus Lector Curiæ anno Domini MCCCVI.* (in ms. Ruten. Magiſter Sacri Palatii, Lector Eccleſiæ) *& inde aſſumtus eſt in Presbyterum Cardinalem*. Fuiſſe Guillelmum Magiſtrum Sacri Palatii, teſtatus eſt etiam Vvaddingus in ſuis Annalibus ad annum mcccx. Num. II. Huic enim, dum Sacri Palatii Magiſtri munere fungeretur, commiſſa eſt cura, Clementis juſſu examinandi ſcripta Petri Joannis Olivi Minoritæ una cum Gualtero Vvinkterburno Anglo, Thoma Joſio Anglo Presbyteris Cardinalibus, Fr. Ægidio Columna Eremita Ordinis S. Auguſtini, & Fr. Vitali de Furno Ordinis Minorum Provinciæ Aquitaniæ Miniſtro. Vide Bremond Tomo II. Bullarii pag. 115. in Nota I. ad Conſtitutionem vii. Clementis V. Papæ.

II. Quando ab ipſo Clemente Pontifice Guillelmus ex Magiſtro Sacri Palatii renunciatus fuerit S. R. E. Cardinalis, docet idem Bernardus Guidonis, qui in Catalogo Cardinalium ſic habet. *Fratrem Guillelmum Petri de Godino Bajonenſem Ordinis Prædicatorum Magiſtrum in Theologia Pariſienſem aſſumpſit in Preſbyterum Cardinalem Titulo S. Ceciliæ idem Dominus Papa Clemens V. Sabbato in jejuniis IV. temporum in Adventu X. Kal. Januarii anno Domini MCCCXII. Pontificatus ſui anno VIII. Erat tunc Lector Sacri Palatii, ubi legerat jam ſex annis &c.*

CAP.

CAP. IX.

De F. Durando de Sancto Porciano, poſtea Epiſcopo Anicienſi, & deinde Meldenſi.

I. TEſte Fontana in Syllabo pag. 74. ad Purpuram aſſumpto Guillelmo Petri de Godino, *P. F. Guillelmus Gavantus de Lauduno Gallus inſignis Pariſinus Doctor anno MCCCXII. a Clemente V. Sacri Palatii Magiſter declaratus fuit.* Verum, ut ſcite obſervat Echard Tomo I. Scriptorum ad annum MCCCLII. ubi agit de Guillelmo de Lauduno, pag. 638. recte Fontanam, & Altamuram arguit Baluzius, quod velint, Guillelmum de Lauduno in Magiſterio Sacri Palatii Guillelmo Petri de Godino anno MCCCXII. ad Purpuram evecto immediate ſuffectum, cum certiſſime non niſi poſt F. Durandum de Sancto Porciano ad eam dignitatem evectus ſit anno MCCCXVII. de quo ſic Bernardus Guidonis in Catalago Magiſtrorum in Theologia inquit: *Poſtmodum autem Magiſter Palatii fuit factus per Papam Joannem XXII.* Sane Durandus de Sancto Porciano ſic ab originis ſuæ municipio Gallice *Saintpourein* Diœceſis Claromontanæ in Alvernia nuncupatus, qui adoleſcens Prædicatorum Ordinem amplexus eſt, & inter ſodales Gymnaſii Sanjacobei Pariſienſis ſic emicuit, ut ad legendas ibidem Sententias promotus fuerit, ſucceſſit quidem in Sacri Palatii Magiſterio Guillelmo Petri de Godino, qui, uti ſupra in præcedenti Capite diximus, ad Cardinalatum fuerat evectus, teſtemque hujus rei habemus Bernardum Guidonis num. LIX. ſic ajentem: *F. Durandus de Sancto Porciano Diœceſis Claromontanenſis fuit licentiatus anno Domini MCCCXII. fuitque vocatus ad lectionem Curiæ Sacri Palatii infra annum circa Quadrageſimam ſubſequentem.* Hoceſt, ut obſervat Echard Tomo I. ad annum MCCCXXXIV. agens de ipſo Durando pag. 586. ſtylo novo, MCCCXIII. Sacri Palatii Magiſter inſtitutus, & Fratri Guillelmo Petri de Godino ex eo munere Cardinali aſſumto ſucceſſor a Clemente V. datus, cum ſummo omnium plauſu eo Pontifice

I do-

Digitized by Google

docuit, & in eodem Officio perſeveravit ad mcccxvii. Fuit poſtea a Joanne Papa XXII. creatus Epiſcopus Anicienſis anno mcccxviii. & deinde mcccxxvi. Meldeſis. Multa ſcripſit, obiitque die xiii. Septembris anni mcccxxxiv.

C A P. X.

De F. Guillelmo de Lauduno poſtea Viennenſi Allobrogum Metropolita.

I. Omiſſa Fontanæ ſerie, quæ ſtare nullatenus poteſt, uti vel ipſi Dominicani Scriptores non ſemel notarunt, ac præſertim doctiſſimi Echard, & Bremond, ſequens juſtum chronologiæ ordinem, poſui hoc loco Guillelmum de Lauduno. Ut enim in præcedenti Capite notatum fuit, recte Fontanam & Altamuram arguit Baluzius quod velint Guillelmum de Lauduno in Magiſterio Sacri Palatii Guillelmo Petri de Godino anno mcccxii. ad Purpuram evecto ſuffectum, cum certiſſime, evidentiſſimeque non niſi poſt Durandum de S. Porciano ad eam dignitatem evectus ſit anno mcccxvii. de quo ſic Bernardus Guidonis in Catalogo Magiſtrorum in Theologia ita ſcribit: *Poſtmodum autem Magiſter Palatii fuit factus per Papam Joannem XXII.* qui ſcilicet memoratum Durandum ad Epiſcopatum promoverat. Errat præterea Fontana, ſicut & Altamura ad annum mcccxlviii. qui hunc Guillelmum de Lauduno Gavantum appellat, nulla enim, ut poſt Baluzium obſervat Echard ad annum mccclii. pag. 638. ejus agnominis in priſcis monumentis memoria; ſemper quippe hic Guillelmus de Lauduno dicitur in Bullario Ordinis Prædicatorum a doctiſſimo Bremond edito, ubi ſæpe fit hujus præclariſſimi Viri mentio. Porro, ut Echard notavit, quatuor circiter annis Guillelmus iſte eo munere Magiſtri Sacri Palatii cum omnium approbatione functus, ad Sedem Metropolitanam Viennenſem Allobrogum evectus eſt anno mcccxxi. tum vero anno mcccxxviii. ad Archiepiſcopatum Toloſanum translatus, ut videre eſt apud laudatum Bremond Tomo II. Bullarii pag. 206.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XI.

De Fr. Raymundo Bequin & poſtea Patriarcha Hieroſolymitano.

I. DOcet Fontana in Syllabo, pag. 76. Guillelmo de Lauduno, quem ipſe appellat Gavantum, in Sacri Palatii Magiſterio ſucceſſiſſe Fr. Raymundum Bequin Toloſanum, Pariſienſem nobilem laureatum, a Joanne XXII. adlectum eodem anno MCCCXXI. quo ille ad Viennenſem Eccleſiam evectus fuit. Raymundus iſte, ut ait Echard Tomo I. anno MCCCXXVIII. pag. 561. Gallus Occitanus Toloſæ natus, Ordinemque Prædicatorum amplexus jam apud ſuos clarus erat anno MCCCXII. quo in Actis Capituli Provincialis Carcaſſonæ poſt Generale ibidem continenter habiti Sacræ Scripturæ Lector Toloſanus inſtitutus eſt. Exinde cum ingenio, & eruditione emineret, in Sacra Facultate Pariſienſi viſus eſt promovendus; de quo in Actis Capituli Generalis apud Pampilonam anno MCCCXVII. legitur: *Aſſignamus ad legendum Sententias Pariſius F. R. Bequini de Provincia Toloſana*. In Catalogo Magiſtrorum Pariſienſium apud Bernardum Guidonis recenſetur Nu. LXX. Tantam vero ſibi famam in Scholis peperit, ut Joannes XXII. Sacri Palatii Magiſtrum eum allegerit, & F. Guillelmo de Lauduno ex eo munere ad Eccleſiam Viennenſem XI. Aprilis ejus anni evecto ſuffecerit. In eo vero officio ita dotes ſuas explicavit, ut ab eodem Pontifice anno MCCCXXIV. Patriarcha Hieroſolymitanus renunciatus fuerit, & ab ejuſdem Ordinis Prædicatorum Fratre Guillelmo Petri de Godino Epiſcopo Sabinenſi conſecratus, atque a Bertrando Cardinali de Monteſaventio Pallio Pontificali ornatus, data ei, ut jam a pluribus annis in uſu erat, Eccleſiæ Lemiſſenſis, ſeu, quæ eadem eſt, Limocienſis, adminiſtratione. Eo mox ſe contulit, & partes vigilantis Paſtoris ſedulus implevit, donec, vocante Deo, anno MCCCXXVIII. & regere, & vivere deſiit.

II. Raymundum Bequin Toloſatem, ac Doctorem

Pariſienſem, *ex Magiſtro Sacri Palatii* renunciatum fuiſſe anno MCCCXXIV. die 11. Julii Patriarcham Hieroſolymitanum, notavit Bremond Tomo 1. Bullarii poſt Conſtitutiones Joannis XXII. pagina 205. ubi varios Auctores citat. Ejus inter alios meminere Razzius pag. 67. & 208. Fontana in Theatro, & in citato Syllabo, ac Percinus in monumentis Conventus Toloſani; ſed tamen omnes ex dictis emendandi. Primus cum putat, Petro de Palude in ipſo Hieroſolymitano Patriarchatu ſucceſſiſſe; cui certe præivit, teſte Raynaldo ad annum MCCCXXIX. Num. XCIV. ubi a Raymundi morte ſuffectum ei Petrum de Palude narrat. Secundus, & quoad chronologiam, & cum Nemauſenſem in Gallia Eccleſiam, Nimocienſem, ſeu Lemiſſenſem in Cypro datam ei in Commendam ſcribit. Tertius ad annum MCCCXIII. pag. 69. ubi eum Priorem Toloſanum egiſſe aſſerit, quo tamen munere numquam functus eſt, nec ab eodem Percino in Catalogo Priorum ad finem Chronici ullus ei datur locus. Legendus tandem Raynaldus ad annum MCCCXXIV. Num. LXIV. & ad annum MCCCXXVI. Num. XXVIII. ubi refert epiſtolam, quam ad eum Joannes Papa XXII. ſcripſit ad exercendam in Neſtorianos Jacobitas cenſuram.

C A P. XII.

De F. Dominico Grenier, poſtea Epiſcopo Appamienſi.

I. TEſte Auctore Gallo Viro doctiſſimo Jacobo Echard Tomo 1. Scriptorum Ordinis Prædicatorum anno MCCCXLII. pag. 612. cui in recenſendis Sacri Palatii Magiſtris in Gallia creatis dum ibi Pontificia Sedes maneret, fidem potius adhibendam cenſeo, quam Fontanæ, aliiſque noſtratibus, qui ob certorum monumentorum inopiam in varios errores, & anachroniſmos miſere lapſi ſunt, Raymundo Bequin Patriarchæ Hieroſolymitano conſecrato, de quo ſupra in Capite præcedenti dictum eſt, in Magiſterio Sacri Palatii eodem anno ſucceſſit F. Dominicus Grenier, vel Grinia, vel etiam Grima, his enim omnibus mo-

modis ejus agnomen in antiquis monumentis legitur, at & frequentius de Toloſa, ſeu Toloſanus, a Patria in Occitania, & a profeſsione dictus, primi ſua ætate nominis Theologus, S. Thomæ doctrinæ addictus, ac ſacris præterea Litteris exponendis totus incumbens. Has Toloſæ profitebatur anno mcccxiii. quo eodem Albiæ Comitiis Provincialibus affuit in Feſto S. Mariæ Magdalenæ coactis, in iiſque ſedit Diffinitor. Exinde Sacræ Theologiæ Magiſter renunciatus eſt, non in Pariſienſi Univerſitate, ut habet Fontana in Theatro Dominicano Parte i. Cap. v. Titulo xli. pag. 126. & in Sillabo pag. 80. ſed Avenione licentiatus auctoritate Joannis Papæ XXII. ut expreſſis verbis docet Bernardus Guidonis in Catalogo Num. lxxvi. Ibidem Sacri Palatii Magiſter adſcitus ab eodem Pontifice aſſeritur his totidem verbis: *Frater Dominicus Toloſanus Magiſter Sacri Palatii fuit licentiatus per eundem Dominum Avenione*. In articulo ſuperiori Joannem XXII. expreſſe nominaverat. Succeſſit vero in hoc munere memorato Raymundo Bequin, & quidem eodem anno mcccxxiv. quo ille evectus fuit ad Patriarchatum Hieroſolymitanum, ut docet laudatus Jacobus Echard, ac functus eſt, non duobus menſibus tantum, ut ait Fontana citatis locis, ſed duobus annis ſolidis ad annum ſcilicet mcccxxvi. quo ab eodem Joanne XXII. Pontifice renunciatus fuit Epiſcopus Appamienſis.

II. Epiſcopatu donatus Eccleſiam ſibi commiſſam pluribus annis rexit, nec ſui interea Toloſani Cœnobii oblitus, hoſpitibus, & infirmis elegantes, ſed religioſas extruxit ædes, & eiſdem ſepeliendis inſigne ad peryſtilium S. Antonino Martyri Sacellum, in quo ſe juſſit cum Fratribus poſt mortem recondi. Quando diem obierit extremum, incertum eſt. Annus Dominicanus Gallicus prodit mortuum xvi. Januarii anni mcccxliii. & alii, inter quos Fontana, prolatant ad annum mcccxlvii. quod ejus Succeſſoris nulla ſit ante annum mcccxlviii. memoria. Quid certius ex ejus Eccleſiæ tabulis expectandum. Cæterum monitum Lectorem velim, receſſiſſe me a Fonta-

tanæ chronologia, qui irrito quidem conatu, poſt Raymundum Bequin recenſet F. Joannem de Lemoyſi, tum Durandum de S. Porciano, de quo diximus ſupra Cap. IX. & deinde Dominicum Grenier, qui tamen, uti probatum eſt, immediate ſucceſſit Raymundo Bequin anno Chriſti MCCCXXIV. conſecrato Patriarchæ Hieroſolymitano. Porro errat etiam & in eo Fontana, qui Joannem de Molendinis, de quo dicemus nos infra Cap. XVI. in duos dividit, Joannem de Leomoyſi alterum, alterum Joannem Morlandinum appellans, qui ex ipſo Olmeda ab eo laudato luce clarius agnoſcere poterat, unum & eundem hominem eſſe, uti notat Echard Tomo I. Scriptorum ad annum MCCCXLIX. pag. 627. Sed vide & infra Cap. XVI. ubi & aliud Fontanæ erratum de Joanne de Lemoyſi, quem ait fuiſſe Franciæ Provincialem, & Philippo IV. Galliæ Regi a confeſſionibus, confutabimus.

C A P. XIII.

De F. Armando de Bellovifu.

I. EMendandus iterum hoc loco Fontana, ſeu potius, a quo nimium facilis hauſit, Sebaſtianus Olmeda, qui Armandum de Bellovifu a Benedicto XII. primum putat Sacri Palatii Magiſterio donatum, & Petro de Pireto ſuffectum, cum contra ſit, & Armandus a Joanne XXII. Sacri Palatii Magiſter Dominico Grenier ſucceſſor datus fuerit, & Armando a Benedicto XII. Petrus de Pireto, ut infra ſuo loco dicemus. Ergo Armandus de Bellovifu, vel pulchroviſu Gallus a loco ſuæ originis in Provincia Gallice *bellevene* dicto nuncupatus, Vir toto Joannis XXII. Pontificatu clariſſimus, ab eoque Laurea Magiſterii circa annum MCCCXX. aut MCCCXXV. Avenione inſignitus, uti legitur in Catalogo Magiſtrorum poſt Bernardum Guidonis aucto. Anno autem MCCCXXVII. Fratre Dominico Grenier Sacri Palatii Magiſtro ad Epiſcopatum Appamienſem evecto, mox ei ſuffectus fuit, & Sacri Palatii Magiſter inſtitutus.

tus . Certe , ut loquens de Armando notat Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum, anno MCCCXXXIII. pag. 584. hoc munere fungebatur initio anni MCCCXXVIII. ut conſtat ex Epiſtola ſuarum Collationum in Pſalmos nuncupatoria ad Raymundum Cardinalem Tituli S. Euſebii , in qua ſic eum alloquitur : *In tantum autem veſtræ dominationi , & Paternitati præcelſæ in novitate veſtræ aſſumtionis tam dignæ , tam utili , & tam gratæ , ad Cæli Cardines , ad tantum Collegium &c.* Quæ docent , has Collationes Armandum Raymundo recens in Cardinalium Collegium allecto dicaſſe . Ille autem ex Epiſcopo S. Papuli , non S. Pauli Tricaſtenſis , ut habet Oldoinus , a Joanne XXII. Cardinalis creatus fuit die XXVIII. Decembris, anno MCCCXXVII. Præterea ad finem plurium ex his Collationibus , ut ad finem LXXXIV. ſic legitur : *Explicit Collatio de mortuis Fr. Armandi Fratrum Prædicatorum Ordinis Lectoris Sacri Palatii .* Sic in Codice antiquo ejus ætatis , cujus Echard meminit loco citato . Ex quibus colligere licet , cum eam habuit Collationem, & antequam Raymundus Cardinalatu donaretur, jam tum illum Sacri Palatii Magiſterium egiſſe.

II. Fungebatur adhuc eo munere Armandus annis MCCCXXXI. & MCCCXXXII. cum efferbuit celebris illa quæſtio de viſionis Dei dilatatione ad diem judicii; nam in reſponſione ad XIX. articulos ſibi a Pontifice iis annis miſſos ſe ipſum ſignat Magiſtrum Sacri Palatii . Ad annum Chriſti MCCCXXXIV. in ea dignitate perſeveraſſe , & ante menſem Novembrem ejus anni defunctum , hinc Echard conjicit , quod F. Arnaldus de S. Michaele de Provincia Toloſana , qui ad commendationem Joannis XXII. in Actis Capituli Generalis Ciſtarici anno MCCCXXIX. ad Sententias eo anno Pariſiis legendas aſſignatus fuerat, & in Catalogo poſt Bernardum Guidonis aucto licentiatus dicitur anno MCCCXXXII. ibidem dicatur ab eodem Pontifice *Lector Sacri Palatii* factus . Sic in Codice Lingonenſi , ſed clarius in Carcaſſonenſi , *vocatus ad Lectionem Curiæ circa Feſtum omnium Sanctorum anno Domini* MCCCXXXIV. Utrum autem iſte hoc munere functus fuerit , non liquet , cum Joannes XXII. pau-

Digitized by Google

paulo poſt obierit, ſcilicet III. Nonas Decembris ejuſdem anni, & Benedictus XII. eodem menſe electus, nempe XIII. Kal. Jannuarii dicatur ad hoc officium F. Petrum de Pireto Caturcenſem Theologiæ Magiſtrum Pariſienſem adlegiſſe, quem exinde idem Papa ad Epiſcopatum Mirapiſcenſem promovit, ut Capite ſequenti dicemus. Vide interim plura de ipſo Armando apud laudatum Echard, qui varia ejus Opera commemorat.

C A P. XIV.

De F. Petro de Pireto.

I. PEtrum de Pireto ſucceſſiſſe in Magiſterio Sacri Palatii Armando de Bellovisſo, jam ſuperius notatum fuit in præcedenti Capite XIII. ubi etiam Fontanæ chronologia confutata eſt. Porro ejus eſt opinionis Fontana in ſuo Syllabo pag. 84. Petrum ipſum ſucceſſiſſe in prædicto munere Bartholomæo de Piſcialis, eamque dignitatem conſequutum eſſe a Joanne XXII. Sed tamen certum illud videtur, quod ſupra jam diximus, Dominico Grenier ſucceſſorem datum fuiſſe ab ipſo Joanne Pontifice Armandum, Armando vero memoratum Petrum a Benedicto XII. Papa ſuffectum. Certe magni fecit Petrum de Pireto Joannes Pontifex XXII. uti conſtat ex ejuſdem litteris datis ad Magiſtrum & Provinciales Ordinis Prædicatorum in Capitulo Generali anno MCCCXXV. Venetiis celebrato, in quibus ita Petrum commendat: *Ad hæc dilectum Filium Petrum de Pireto ejuſdem Ordinis in Studio Pariſiis commorantem, quem de morum honeſtate præclara, Religionis zelo, converſatione placida, ſcientiæ profunditate, aliiſque multiplicibus virtutum meritis nonnulli Sacræ Theologiæ Profeſſores, & Baccalaurei, Pariſiis exiſtentes, ipſius in prædictorum meritorum eminentiam ſcientiæ poſtulant, vobis ſuper iis ſpecialiter commendamus.* Extant hæ Litteræ Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum pag. 167. & ſequenti. Porro Petrum ipſum, quem Benedictus XII. Magiſtrum

ſtrum Sacri Palatii creavit, non multo poſt, anno ſcilicet MCCCXXXV. ad Epiſcopatum Mirapiſcenſem promovit, uti videre eſt in citato Bullario in appendice ad Conſtitutiones laudati Benedicti Papæ XII. pag. 221.

CAP. XV.

De F. Raymundo Durandi.

I. PEtro de Pireto ad Epiſcopatum evecto a Benedicto XII. anno MCCCXXXX. ſubrogatus eſt mox in Sacri Palatii Magiſterio, non quidem Armandus de Bellovisſo, ut in Syllabo ait Fontana pag. 85. ille enim ſucceſſor datus fuit Dominico de Grenier a Joanne XXII. ut dictum eſt Cap. XIII. ſed potius Raymundus Durandi Gallus, cujus, ut ait idem Fontana pag. 86. in Clementis VI. Vaticanis Regeſtis fit mentio anno MCCCXLIII. ſub die XXIII. Junii, & anno MCCCXLV. ſub die VII. Septembris, ſicut etiam teſtatur Lucarinus, quievitque pace ſequenti anno MCCCXLVI. ex memoratis Auctoribus; id quod etiam non obſcure docet Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum ſui Ordinis ad annum MCCCXLIX. pag. 628. col. I. ubi ait, anno MCCCXLV. a Clemente Papa VI. Pontifice F. Joannem de Molendino, ſeu Molendinis adlectum fuiſſe Sacri Palatii Magiſtrum, in locum ſcilicet Raymundi Durandi. Lapſus eſt itaque laudatus Echard, ubi eodem Tomo I. pag. XXI. recenſens Magiſtrorum Sacri Palatii Indicem, ſcripſit, Raymundum Durandi fuiſſe Magiſtrum Sacri Palatii ab anno MCCCXXXVI. ad annum MCCCXLII. Joannem vero de Molendino, de quo mox in Capite ſequenti dicemus, ab anno MCCCXLII. ad annum MCCCXLIX.

CAP. XVI.

De F. Joanne de Molendinis, poſtea S. R. E. Cardinali.

I. SUcceſſorem habuit Raymundus Durandi in Magiſterio Sacri Palatii F. Joannem de Molendinis, vel de

Digitized by Google

Molinis, ſeu de Molendino, vel de Molino, quem corrupte nonnulli vocant Morlandinum, Gallum Aquitanum in Diœceſi Lemovicenſi natum. S. Dominici Ordini a puero nomen dedit in Cœnobio Brivienſi Provinciæ Toloſanæ; emenſiſque Studiorum curriculis, Laurea donatus pluries Inſtituti ſui ſodalibus Peripateticorum Principem Ariſtotelem enarravit, ac Doctor deinde Theologus, hæreticæ pravitatis Inquiſitoris munere functus eſt Toloſæ, ut tradit Ciaconius Tomo II. Vitarum Pontificum & Cardinalium, & alii citati a doctiſſimo Bremond Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum in Appendice ad Conſtitutiones Clementis VI. pag. 237. Porro de ipſo Joanne ita ad rem inter alia ſcribit Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum ad annum MCCCXLIX. pag. 628. *Anno MCCCXLV. ab eodem Summo Pontifice*, nempe Clemente VI. *allectus eſt Sacri Palatii Magiſter*. Perveniſſe ad hanc dignitatem Joannem opera Gerardi Cardinalis ex S. Dominici Ordine aſſumti, cui erat maxima neceſſitudine conjunctus, tradunt inter alios Fontana & Ciaconius locis citatis, ex quibus etiam habemus, non multo poſt, in Comitiis nempe generalibus Ordinis Barcinone anno MCCCXLIX. coactis, unanimi ſuffragio Joannem ipſum licet abſentem Generalem Magiſtrum renunciatum fuiſſe, ac tandem anno MCCCL. Sabbato Quatuor Temporum Adventus die XVIII. Decembris in Collegium Cardinalium adſcitum.

II. Tradit hæc Echard citato loco, ubi etiam Fontanam refellit, qui ipſum Joannem in duos plane errans dividit, Joannem de Lemoyſi alterum, quem inquit creatum fuiſſe Sacri Palatii Magiſtrum a Joanne Papa XXII. anno MCCCXXIII. in locum F. Raymundi Bequin ad Epiſcopatum promoti; alterum Joannem Morlandinum appellans, qui ex ipſo Olmeda ab eo laudato luce clarius agnoſcere poterat, unum & eundem hominem eſſe. Quod vero idem Fontana pag. 77. loquens de Joanne de Lemoyſi ait, fuiſſe illum Franciæ Provincialem, & Philippo IV. Galliarum Regi a Confeſſionibus, ex ipſa ſerie Franciæ Provincialium, & Philippi Pulchri IV. anno MCCCXIV. defuncti Confeſſariorum,

rum, inter quos nec locum habet, nec habere poteſt, falſiſſimum evincitur. Legendus Baluzius in Notis ad Papas Avenionenſes Tomo 1. col. 906. Vide ſupra Cap. XII. quæ notavimus de Joanne de Lemoyſi. Plura autem de hoc Joanne S.R.E. Cardinali ex Ordine Prædicatorum aſſumto dicemus nos in peculiari Opere, quod eſt de Vitis Summorum Pontificum, & Cardinalium laudati Ordinis.

C A P. XVII.

De F. Guillelmo Sudre poſtea S.R.E. Cardinali.

I. ELecto ad ſupremum Prædicatorum Ordinis regimen Joanne de Molendinis, in Magiſterio Sacri Palatii ſubſtitutus fuit ab eodem Clemente VI. anno MCCCXLIX. Guillelmus Sudre, vel *Sutri*, ut ait Echard Tomo 1. anno MCCCLXXIII. pag.670. Gallus Aquitanus in Oppido *Aquina*, vernacule *l' Aquene* Diœceſis Tullenſis nobili familia in Lemovicibus clara oriundus. Adoleſcens Brivis Prædicatorum Ordinis Inſtitutum amplexus eſt. Anno MCCCXL. in Capitulo Provinciali Condomii celebrato ex ſtudentibus Pariſios pro ratione ſuæ Provinciæ Toloſanæ Viris jam maturis miſſis unus fuit. Exinde Sacræ Theologiæ Lector in ſua Provincia, quo munere ut Baccalaureus in Sacro Palatio anno MCCCXLVII. & Carcaſſonæ anno MCCCXLVIII. fungebatur. Quo eodem anno in Comitiis ſui Ordinis generalibus Lugduni habitis ad legendas Pariſiis anno Chriſti MCCCXLIX. Sententias deſtinatus eſt, idque in Comitiis Barcinone anno ſequenti habitis confirmatum, etſi Prior tum eſſet Provincialis Toloſanæ Provinciæ electus jam ab Octavis SS. Petri & Pauli anno MCCCXLVIII. in Capitulo S. Gaudentii. Quam tamen Lectionem Pariſienſem non ſuſcepiſſe, ex eo patet, quod in Catalogo Magiſtrorum inter additos ad Guidonem Num. CXIII. Codicis Lingonenſis dicatur promotus Avenione de licentia Papæ. Cui ſuffragatur, quod in ſerie Provincialium Toloſanorum in Codice Carcaſſonenſi de eo ſic refertur: *Hic anno MCCCXLVII. fuerat*

Digitized by Google

rat Baccalaureus Sacri Palatii. Ipſe erat maximus Clericus, & in perſona multus gratus. Paucis annis provinciam rexit, *quia Dominus Papa*, nempe Clemens VI. *voluit*, *quod eſſet Magiſter in Theologia Avenione, quod & fuit, & poſt per eundem Dominum Papam factus fuit Magiſter Sacri Palatii*. Teſte Lucarino, quem citat Fontana in Syllabo pag. 90. ejus mentio habetur in Regeſtis Vaticanis ejuſdem Clementis ſub die XXIV. Novembris MCCCXLIX.

II. Renunciatus Guillelmus Magiſter Sacri Palatii a Clemente Papa VI. evectus fuit deinde ſub ſequentibus Pontificibus ad ſupremos Eccleſiæ honores. Nam primo Epiſcopus Maſſilienſis electus eſt, atque inſtitutus anno MCCCLXIV. ut putavit Baluzius, ſed tamen Dionyſius Sammarthanus in nova Gallia Chriſtiana eum exhibet jam anno MCCCLXI. hac dignitate pollentem, quia ſcilicet die II. Septembris ejuſdem anni Officialem ſuum inſtituerit Joannem Olerii, & die X. ejuſdem menſis Guillelmum de Maſſilia, alias *de Rupevaria* Ordinis ſui Prædicatorum alumnum Vicarium ſuum Generalem in Spiritualibus, & temporalibus declaravit. Itaque ut recte notavit inter alios Echard, ab Innocentio VI. hac Infula ornatus fuit Guillelmus Sudre, eumque illius ſucceſſor Urbanus V. anno MCCCLXVI. XVIII. Septembris S.R.E. Cardinalem Tituli SS. Joannis & Pauli creavit, & Epiſcopum Oſtienſem & Velitrinum, uti videre eſt apud Ciaconium, & doctiſſimum Bremond Tomo II. Bullarii in appendice ad Conſtitutiones Urbani V. pag. 262. & 266. Teſte Fontana in ſuo Syllabo, pag. 91. obiit Guillelmus Avenione IV. Kal. Octobris ſub Gregorio XI. anno MCCCLXXIII. ibidemque apud Fratres ſuos Ordinis Prædicatorum ſepulturæ traditus cum hac Epigraphe.

REQUIESCAT IN PACE. AMEN.

III. Scripſiſſe ajunt opuſculum, *De Myſterio Sanctæ Crucis*, & Epiſtolas plurimas ad varios de rebus Eccleſiaſticis. & quædam Philoſophica de ſubtilitatibus Logicæ. Teſtamentum quoque condidit, cujus idem Echard meminit. Plura de eo dicemus nos in Opere noſtro, ubi Vitas Paparum, & Cardinalium Ordinis Prædicatorum narrabimus.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XVIII.

De F. Guillelmo Romani.

I. AD purpuram evecto Guillelmo Sudre, eodem anno MCCCLXVI. Urbanus V. ad Imperatoris inſtantiam Sacri Palatii Magiſtrum elegit P. F. Joannem de Tambaco Virum ſuo ſæculo nemini ſecundum, inquit in ſuo Syllabo Fontana pag. 91. Sed errat & hoc loco Fontana; ſufficiendus eſt enim Guillelmo Sudre Guillelmus Romani, cujus dotibus motus Innocentius VI. eum Sacri Palatii Magiſtrum adlegit anno MCCCLXI. ipſumque ſuffecit laudato Sudrio, quem ex eodem munere eodem anno Maſſilienſem Epiſcopum promoverat, ut ſuperiori Capite dictum eſt. De Magiſterio Sacri Palatii, quo poſt Sudrium donatus fuit Guillelmus Romani, hæc ſunt acta certa & indubitata, quæ refert Echard Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum anno MCCCLXX. pag. 664. In editione antiqua textus Magiſtri Sententiarum apud Joannem Pyvard anno Chriſti MCCCCXCIX. ad calcem refertur *copia cedulæ revocationis quorumdam articulorum Fr. Dionyſii Soulechat Ordinis Minorum factæ per eundem Pariſius, & in Curia Romana.* In fine autem ſic legitur: *Hæc omnia prædicta dictus Fr. Dionyſius iterum omnino in præſentia dicti Magiſtri Romani Lectoris Sacri Palatii Apoſtolici, & aliorum novem Magiſtrorum in Theologia Pariſius revocavit, & ad ſancta Dei evangelia juravit, ſe appellationem, quam interpoſuerat, non proſequuturum, ac concluſiones prædictas, & corollaria tanquam falſa, & erronea, & hæretica abjuravit ſecundum tenorem revocationis alias per eum factæ Pariſius modo & forma ſuperius annotatis. Hæc autem revocatio facta eſt Avenione in domo præfati Magiſtri Guillelmi Romani anno MCCCLXV.* (ſtylo ſcilicet veteri, novo autem MCCCLXVI. ut idem Echard obſervat) *die ultimo menſis Januarii, indictione III. Pontificatus Urbani V. anno tertio.* Nomine Lectoris Sacri Palatii intelligendum Magiſtrum, patet, quod hic cœtui novem Magiſtrorum Pariſien-

ſienſium præſederit, & quod apud eum, & in ejus domo cœtus coactus fuerit, & quod in ejus ſpeciatim præſentia revocatio dicatur facta. Hæc eadem Acta videri plane poſſunt in Bibliotheca Patrum Editionis Colonienſis, & Lugdunenſis.

II. Et nequis adhuc dubitet de eo Guilielmi Romani munere, Magiſtri ſcilicet Sacri Palatii, ſic expreſſe nominatur in Hiſtoria translationis Corporis S. Thomæ Aquinatis ex Italia Toloſam a Fr. Raymundo Hugonis ſcripta Cap. xxiv. ubi ſic legitur: *Ita Corpus ſcilicet & Caput prædicta S. Thomæ Aegidius Tituli S. Martini & Marcus Tituli S. Praxedis Cardinales Fratri Heliæ Magiſtro Ordinis Prædicatorum tradiderunt die IV. Auguſti MCCCLXVIII. præſentibus Dominis Archiepiſcopo Auxitano Camerario Domini Papæ, & Raymundo Abbate Foſſæ novæ, ac Venerabili Magiſtro Guillelmo Romani Ordinis Fratrum Prædicatorum Sacri Palatii Magiſtro &c.* Ex quibus inferes quod identidem in ſuo eruditiſſimo Opere monet Echard, *Syllabum Magiſtrorum Sacri Palatii a Fontana editum non eſſe accuratum, plures ab eo omiſſos, inter quos & hic Guillelmus Romani, plures ſuo loco non poſitos, Virumque diligentiorem deſiderari, qui ex antiquis monumentis hanc telam retexat.* Fallitur itaque & hoc loco Fontana cum Olmeda, nam Sudrio anno mccclxi. Maſſilienſi Epiſcopo promoto mox ſubſtitutus eſt in munere Sacri Palatii Guillelmus Romani Brito, ſive Armoricus, qui hoc munus gerebat jam anno mccclxv. & egit ad annum mccclxxv. circiter, unde nullus Tambaco locus inter Magiſtros Sacri Palatii; ſed forte in ea Univerſitate, ſeu Gymnaſio Sacri Palatii Baccalaureus alias fuerit ſub Pontificatu Benedicti XII. unde a Clemente VI. titulum & gradum Magiſtri reportavit, ut in ipſo Joanne Tambaco ad annum mccclxxii. pag. 668. laudatus Echard notavit. Quicquid ſit, geſſiſſe munus Magiſtri Sacri Palatii anno mccclxxii. laudatum Guillelmum, non autem Joannem de Tambaco, omnino evincitur ex Diplomate Gregorii XI. prædicto anno dato die xxii. Junii, quo *Fratri Guillelmo Magiſtro Sacri Palatii,*

tii, aliiſque nonnullis difficultates aliquas enodandas committit, uti videre eſt Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum pag. 274.

CAP. XIX.

De F. Nicolao de Sancto Saturnino.

I. E Vivis ſublato Guillelmo Romani, creatus mox fuit Nicolaus de S. Saturnino Gallus Arvernus a Gregorio Papa XI. ut docet Echard Tomo I. Scriptorum ad annum MCCCLXXXII. pag. 683. affertque teſtimonium Laurentii Pignonis, qui in ſuo Provincialium Chronico ſic inter alia inquit: *Anno Domini MCCCLXXVI. fuit generale Capitulum, & Provinciale Bituricis, ubi Frater Nicolaus de S. Saturnino Provincialis Franciæ abſolutus eſt, & factus Lector Sacri Palatii.* Ex quo inferas, non potuiſſe, ut vult Fontana in ſuo Syllabo pag. 93. ex Olmeda, Nicolaum ipſum Fratri Joanni de Tambaco, quem Echard mortuum probat anno MCCCLXXII. immediate ſuffici, ſed Guillelmo Romani, quem etiam evicimus, & exhibuimus Magiſterio Apoſtolici Palatii fungentem annis MCCCLXV. & MCCCLXVI. itemque MCCCLXXII. & veriſimillime ad annum MCCCLXXVI. in eodem prorogatum, ideſt ad mortem uſque. Porro acceptiſſimus fuit Nicolaus iſte Gregorio XI. a quo Magiſterium Sacri Palatii obtinuerat, eumque ſequutus, cum Gallia proficiſcens Romam venit anno MCCCLXXVII.

II. Defuncto Gregorio XI. anno ſequenti, Urbanus VI. qui Gregorio ſucceſſit, præclaris Nicolai noſtri Sacri Palatii Magiſtri dotibus motus, Cardinalatum eidem obtulit, teſte Auctore Vitæ Clementis in ſua obedientia dicti VII a Boſqueto editæ, qui etiam idem dicit de Leonardo de Giffono Miniſtro Generali Ordinis Minorum. Sed ambo in ea rerum caligine Urbani electionem nullam eſſe perſuaſi oblatum Cardinalatum conſtanter recuſarunt. Neque vero id tantum, ſed Nicolaus adhærens Cardinalibus, qui Anagniam ſeceſſerant, ab iiſdem XV. Julii anni MCCCLXXVIII. miſſus eſt in Galliam ad Carolum V. Franco-

rum

Digitized by Google

rum Regem, qui ei Urbanum non legitime electum oſtenderet. Pariſios aggreſſus circa medium Auguſti Regi Cardinalium epiſtolam mox reddidit, eandemque die Septembris IV. ad Parlamentum detulit; exindeque electo Fundis die XX. Septembris adverſus Urbanum Roberto Gebennenſi, qui in ſua obedientia Clemens VII. dictus fuit, ejus partes ſequutus eſt Nicolaus.

III. Ab eodem Clemente die XVIII. Decembris ejuſdem anni MCCCLXXVIII. cum aliis quinque ad Cardinalatum promotus abſens, Diploma III. Idus Februarii ſequentis anni MCCCLXXIX. Fundis datum mox ut recepit cum capello rubeo in occurſus Clementis Avenionem petentis ſe contulit, eumque Maſſiliam die XXV. Junii appulſum ſalutavit, a quo Titulum S. Martini in Montibus accepit, eumque Avenionem comitatus eſt, ubi pluribus pro eo perfunctus laboribus obiit tandem die XXI. Januarii anni MCCCLXXXII. ut docet Echard, licet quidam eum mortuum velint die XXIII. Avenione apud Dominicanos etiam ſepultum narrant Ciaconius & Oldoinus, ſed falli utrumque memoratus Echard conſtanter aſſerit. Nam præterquamquod nulla hujus rei apud Dominicanos Avenionenſes memoria, ſepulchrum ejus auguſtum viſitur etiamnum apud Claromontenſes Dominicanos, ad quos corpus ſuum a morte deferri teſtamento caverat; idque reipſa effectum conſtat tum ex monumentis hujus translationis in Archivo Conventus Claromontani ſervatis, tum ex Epigraphe, quæ in tribus minimum Codicibus mſſ. ex iis, quos ei Conventui legarat, manu æquali ſcripta legitur, & a F. Paulo *le Marcand* tum Priore ad Franciſcum du Cheſne miſſa, ab iſto inter probationes hiſtoriæ Cardinalium Francorum edita eſt pag. 487. & deinde ab eodem Echard loco citato.

C A P. XX.

De F. Petro Tiperino, poſtea Epiſcopo Marſicano.

I. AD pſeudopontificem Clementem quum acceſſiſſet Nicolaus de S. Saturnino, de quo ſuperiori Capite

te dictum eſt, Urbanus VI. Pontifex alterum mox ex Ordine Prædicatorum juxta antiquum ac uſu receptum, & numquam interruptum morem ſibi in Sacri Palatii Magiſtrum F. Petrum de Ylperinis nobilem Romanum delegit. Hic, ut ait Fontana pag. 94. in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam ad Ordinem Prædicatorum receptus, ſacriſque Studiis addictus, inſignis Theologiæ Doctor evaſit, & poſt varias Prælaturas in eodem Ordine, ac præſertim in Romana Provincia laudabiliter obitas, ad Magiſterium Sacri Palatii evectus eſt anno MCCCLXXVIII. ex quo munere ab eodem Urbano Papa VI. cui maxime carus erat, ſequenti anno MCCCLXXIX. ad Eccleſiam Marſicanam aſſumtus, cum ad eam ſe conferret, ab intruſo Epiſcopo Clementis VII. pſeudopapæ multas perſequutiones perpeſſus, in Urbem redire coactus fuit, ubi anno MCCCLXXXIII. obiit, & in Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ſuper Minervam pervetuſto Familiæ ſuæ Sacello olim S. Dominico dicato ſepultus eſt ſub lapideo tumulo ejus effigiem in Pontificalibus repræſentante cum Familiæ ſuæ ſtemmate, atque inſcriptione ſequenti, quæ litteris Gothicis circum effigiem ipſam inſculpta eſt.

HIC REQVISECIT VENERABILIS PATER D. FRATER PETRVS DE YLPERINIS ORD. PREDIC. EXIMIVS SAC. THEOLOGIE DOCTOR SCHOLARVM ET SAC. PALATII MAGISTER MARSICEN. EPISCOPVS QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCC LXXXIII. DIE XX. JVLII. CUJVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

II. Obſervat idem Fontana, conſpici modo ejus ſepulchralem lapidem parieti Sacelli SS. Annunciatæ prope portam lateralem Eccleſiæ reſpicientem ad meridiem affixum. Fuiſſe Petrum de Ylperinis, ſeu Ilperinis, vel Albertinis Minervitani Cœnobii alumnum ab Urbano VI. anno prædicto MCCCLXXIX. renunciatum Epiſcopum Marſicanum in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Salernitano, tradit Ughellus in Italia Sacra, Tomo VII. pag. 515. ſecundæ editionis, & noviſſime doctiſſimus Bremond in ſuo Dominicano Bullario Tomo II. pag. 304.

Digitized by Google

C A P. XXI.

De F. Hugolino de Camerino.

I. QUeritur Echard Tomo I. Scriptorum ſui Ordinis Prædicatorum anno MCCCLXXXV. pag. 687. ubi enarrat geſta Bartholomæi de Bolſenheim, vel Bolſenech, perturbatiſſimam eſſe apud Fontanam Magiſtrorum Sacri Palatii ſeriem toto tempore Schiſmatis Avenionenſis, ubi Nicolaus a S. Saturnino ad Clementem VII. ſic in ſua obedientia dictum defecit, aitque, ſic rectius ſtatui ipſam ſeriem poſſe, ut nempe poſt Petrum Ylperinum electum Epiſcopum Marſicanum anno MCCCLXXIX. ponatur Simon Saltarellus ab ipſo anno MCCCLXXIX. uſque ad annum MCCCLXXXV. ab eoque anno ad MCCCXCV. circiter Bartholomæum de Bolſenheim, ab anno MCCCXCV. uſque ad MCDVI. Jacobum Aragonium, & ab ipſo anno MCDVI. ad abdicationem uſque Gregorii XII. in Concilio Conſtantienſi acta Hugolinum de Camerino.

II. Sed putò equidem, labi & ipſum Echard, tametſi hanc ſeriem a ſe conſtitutam dicat ex actis ætatis ſingulorum evinci; neque enim acta ipſa tam perſpicua ſunt, ut illi Auctori tuto adhærere poſſim. Dicam itaque cum Fontana, pag. 96. *poſt aſſumptionem Ylperini ad Marſicanam Eccleſiam*, *P.F. Ugolinum*, ſive Hugolinum cum litera H, ut alii ſcribunt, *de Camerino ab Urbano Papa VI. creatum anno MCCCLXXIX. in quo nobili munere pluribus annis egregiam operam poſuit*. Ait deinde Fontana pag. 97. ſucceſſorem habuiſſe Hugolinum in Magiſterio Sacri Palatii P. Fr. Jacobum Aragonium a Bonifacio IX. circa annum MCCCXCV. promotum. Confutat Fontanam Echard, qui dicit, Jacobum Aragonium ab anno MCCCXCV. circiter ad annum MCDVI. Sacri Palatii Magiſterio functum. Sed emendandi plane ſunt ambo Fontana & Echard, ut ſcite notavit Sapientiſſimus Bremond Tomo II. Bullarii in Conſtitutionem VII. Innocentii Papæ VII. datam anno MCDVI. die VI. Junii, incipitque: *Decens reputamus*, in qua ipſe Inno- cen-

centius iſtrumentum firmat, quo F. Hugolinus Magiſter Sacri Palatii declarat, F. Melchiorem Ordinis S. Auguſtini a ſe Magiſterii gradu donatum fuiſſe. Atque ex citata Conſtitutione notandum hic obiter illud, quod obſervat laudatus Bremond, & a nobis jam Lib. I. Cap. VI. dictum fuit, facultatem creandi Magiſtros, primis ſæculis Ordinis Prædicatorum, fuiſſe penes Magiſtrum Sacri Palatii.

III. Plura de Hugolino legere eſt apud eruditum Jacobum Echard Tomo I. Scriptorum ſui Ordinis, pag. 759. ubi inter alia affert locum Codicis Colbertini, in quo diſerte dicitur: *Hugolinus de Camerino Sacri Palatii Magiſter in obedientia dudum Gregorii XII.* Priuſquam vero eo accederet, quam fidus ipſi Gregorio fuerit, hinc patet, quod cum Magiſter Ordinis Prædicatorum Thomas de Firmo ad Concilium Piſanum anno MCDIX. ſe contuliſſet, & Alexandrum V. in eo electum Summum Pontificem agnoviſſet, quem ſequutæ ſunt Provinciæ ejuſdem Ordinis non ſolum Galliæ, ſed & pleræque Italiæ, Hugolinus Gregorio indivulſus adhæſit, nec, ut eum deſereret, aut minis, aut pœnis perſuaderi potuit; propthereaque ab illo Vicarius Generalis laudati Ordinis in ſua obedientia inſtitutus eſt.

C A P. XXII.

De F. Joanne de Caſa nova, poſtea Epiſcopo, & deinde S. R. E. Cardinali.

I. PErtinaciſſimo Avenionenſi Schiſmate extincto, cujus cauſa, perturbatiſſima evaſit Magiſtrorum Palatii Apoſtolici ſeries, poſtquam ſcilicet Nicolaus a Sancto Saturnino ad Clementem VII. ſic in ſua obedientia dictum defecit, F. Joannes a Caſa nova Catalanus Barcinone natus, ſacras diſciplinas ea fama publice profeſſus eſt, ut a Martino V. mox a ſua in Pontificem Maximum electione anno MCDXVIII. Magiſter Sacri Palatii electus fuerit, atque inſtitutus, teſte Fontana in ſuo Syllabo pag. 101. cui & adhæret Echard, Tomo I. Scriptorum, anno MCDXXXVI.

Digitized by Google

pag. 791. Sed puto, utrumque Auctorem labi, cum ajunt, primo anno Pontificatus Martini V. creatum fuiſſe Caſamnovam Sacri Palatii Magiſtrum, non enim ulla fit ejus officii mentio in Diplomate ejuſdem Martini, dato Florentiæ anno II. Pontificatus, ubi ipſum Joannem de Caſanova Pœnitentiarium ſuum *in Romana Curia cum ſtipendiis, honoribus, & oneribus conſuetis* conſtituit. Legitur Diploma Tomo II. Bullarii Dominicani, pagina 561. notatque ibidem eruditiſſimus Bremond, varia extare in Archivo Ordinis ſui, & alibi laudati Pontificis Diplomata, quibus Fratres Prædicatores creati ſunt Pœnitentiarii Papæ.

II. Fuit aliquando Caſanova Petro de Luna, Benedicto XIII. in ſua obedientia vocato addictus, in ejuſque Curia lectiones fecit, uti conſtat ex alio Martini V. Diplomate dato anno III. Pontificatus, quo lectiones ipſas a Caſa nova in ipſa Curia, & alibi tempore Schiſmatis factas *ſpecialis dono gratiæ* confirmat, nulla tamen facta mentione Magiſterii, quo iu Sacro Palatio Apoſtolico fungeretur. Legitur Diploma in citato Bullario pag. 573. Contulit eidem Martinus V. & alias gratias, ut nimirum ipſi quilibet Sacerdos Sacramenta miniſtrare poſſet, atque ut eidem facultas eſſet Pœnitentiarii munus obeundi in Hiſpania, uti conſtat ex duobus Diplomatibus ejuſdem Martini V. datis die XXII. Octobris anno III. Pontificatus, Chriſti vero MCDXX. & leguntur ambo in eodem Bullario pag. 593. Porro fungebatur Magiſterio Sacri Palatii Joannes Caſanova anno MCDXXII. quo Martinus V. Diplomate dato 1. Septembris, Pontificatus anno V. ipſum quibuſdam redditibus Eccleſiaſticis donavit, ut decenter Apoſtolici Palatii Magiſtri munus obire poſſet. Extat Diploma in prædicto Bullario pag. 608. & 609. ubi & aliud legitur ab eodem Martino V. datum die ipſa 1. Septembris ejuſdem anni MCDXXII. quo eidem Caſanovæ Magiſtro Sacri Palatii factionem activam Teſtamenti concedit.

III. In eo munere ita præclaras animi ſui dotes Caſanova explicuit, ut his definitus Martinus V. illum Epiſcopum Boſanum in Sardinia anno MCDXXIV. promoverit, tum

Digitized by Google

tum ad Elenenſem in Ruſcinone ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi tranſtulerit, & quidem anno MCDXXV. ut ſcitiſſime notat Bremond in Appendice ad Conſtitutiones Martini V. pag. 705. non vero anno MCDXXXIX. ut tradunt Fontana, Fernandez, Plodius, Cavalerius, & ipſe etiam Echard Tomo I. Scriptorum pag. 791. Extat enim Diploma ejuſdem Martini V. in citato Dominicano Bullario pag. 659. datum anno MCDXXV. die XIX. Decembris, quo edicitur, ne F. Joannes de Caſanova renunciatus Elenenſis Epiſcopus penſione ſibi ut Magiſtro Sacri Palatii conceſſa deinceps gauderet. Cæterum creavit demum Martinus Pontifex ipſum Joannem de Caſanova Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem V. Idus Novembris anno MCDXXX. at cum morte præventus die XX. Februarii anni MCDXXXI. eam creationem non publicaſſet, Eugenius IV. Martini V. ſucceſſor in Conſiſtorio Cardinalium declaravit, addito Epiſcopatui Elenenſi perpetua Eccleſiæ Gerundenſis adminiſtratione.

IV. Anno demum MCDXXXVI. mortuum illum omnes conveniunt, at non ita de die, aliis diem XXIV. Februarii, aliis Martii primam aſſignantibus. Ubi obierit, Scriptores diſputant; nam Panvinius, Ciaconius, Contelorius, Leander, ceterique fere omnes, quibus adhæret Fontana, Florentiæ ipſum defunctum volunt, & in Eccleſia S. Mariæ Novellæ ſepultum ex Necrologio ejuſdem. Contra Franciſcus Diago in Hiſtoria Provinciæ Aragoniæ Lib. II. Cap. XXXV. & in Hiſtoria Comitum Barcinonenſium, Lib. III. Cap. XXII. acriter contendit, Barcinone diem obiiſſe, & in Eccleſia Fratrum Prædicatorum ibidem ſepultum; quod probare conatur ex Actis Capituli Provincialis Aragoniæ anno eodem Singueſſæ celebrati, quibus inter defunctos Barcinone Fratres denunciatur, ejuſque conjicit eſſe quod ibidem viſitur ſepulchrum quoddam mormoreum. Litem dirimit quodammodo Oldoinus apud Ciaconium Tomo II. dicens, certum ſe habere, non ſolum ex Archivis Florentinis Fratrum Prædicatorum, ſed & ex Vaticanis, Florentiæ defunctum, & in S. Mariæ Novellæ conditum, ſed paulo poſt ad ſuos Barcinonenſes delatum.

CAP.

C A P. XXIII.

De F. Andrea de Piſis, poſtea Epiſcopo Sutrino.

I. JOanni Caſæ novæ MCDXXIV. a Martino V. ad Boſanum Epiſcopatum promoto, in Sacri Palatii Magiſterio ſucceſſit Fr. Andreas de Piſis auctoritate ejuſdem Pontificis. Fuit Andreas, ut ſcribit de illo Fontana in ſuo Syllabo, pag. 103. inter ſui ſeculi laureatos doctos, nemini ſecundus, Piſani Conventus Prior, Romanæque Provinciæ Provincialis, una cum Leonardo Statio Generali Ordinis ſui Prædicatorum Magiſtro Concilio Conſtantienſi interfuit, in quo docti, cordatique Viri nomen obtinuit, & Martini V. benevolentiam promeruit, a quo poſt Caſanovam Magiſterio Sacri Palatii fuit cohoneſtatus & quidem anno MCDXXIV. Præfuit ei muneri uſque ad annum MCDXXIX. quo pridie Kal. Martii ab eodem Martino V. Epiſcopus Sutrinus renunciatus fuit, ut poſt Ughellum, Fontanam, & alios docet Bremond Tomo II. Bullarii in Appendice ad Conſtitutiones Martini Papæ V. pag. 708. ubi etiam notavit, Andream ipſum de Piſis, ſeu Piſanum, in monumentis Vaticanis appellari Conſtantinopolitanum. Porro tribus tantummodo annis in ſibi credita Eccleſia Andreas præfuit, quievitque in pace anno MCDXXXI. teſte Fontana loco citato, ubi citat Regeſta Martini V. & monumenta Conventus Piſani.

C A P. XXIV.

De F. Joanne de Conſtantinopoli.

I. POſt aſſumtionem Andreæ ad Eccleſiam Sutrinam F. Joannes de Conſtantinopoli Vir peregregius, ut ait Fontana pag. 104. poſt varias in Provincia Græciæ obitas Præfecturas, procurante Generali Ordinis ſui Prædicatorum Magiſtro Fr. Bartholomæo Texerio, a quo in Socium regiminis fuerat aſſumtus, a Martino Papa V. anno MCDXXIX. Sacri Palatii Magiſterium promeruit. Tum ab eodem

eodem Nidroſienſis Archiepiſcopus renunciatus, oblatam ſibi dignitatem conſtantiſſime recuſavit; extatque ejus rei memoria in Vaticanis Martini V. Regeſtis anni MCDXXX. & paulo poſt obiit, ut idem Fontana Auctores citans teſtatur.

C A P. XXV.

De F. Joanne de Turrecremata, poſtea S.R.E. Cardinali.

I. E Vivis ſublato Joanne Conſtantinopolitano, Eugenius IV. anno MCDXXXI. die IV. Martii in Martini Papæ V. locum ſuffectus, Joannem de Turrecremata natione Hiſpanum, Patria Pincianum, avita, nobilique, & Chriſtiana ſtirpe oriundum, gentis, Ordiniſque ſui Prædicatorum decus, Eccleſiæque univerſæ ſplendidiſſimum lumen, & columen, Sacri Magiſtrum Palatii ſelegit, atque conſtituit. Sub ipſo Joanne aucti quidem honores fuere, & extenſa Privilegia Magiſtrorum Sacri Palatii, ut conſtat ex Litteris ejuſdem Eugenii datis die XXX. Octobris anni MCDXXXVII. ad ipſum Joannem, quem etiam ſummis Laudibus ornat, & relatis Tomo III. Bullarii Ordinis Prædicatorum, pag. 81. & apud Fontanam in ſuo Syllabo, pag. 4. & ſeq. Donatus præterea fuit idem Joannes dum ipſo Sacri Palatii Magiſterio fungeretur, Beneficio Eccleſiaſtico ab eodem Eugenio Papa IV. cujus in eam rem Diploma extat citato Tomo III. Bullarii pag. 88. & ſequenti, datum anno MCDXXXVIII. die II. Octobris; eumque tandem anno Chriſti MCDXXXIX. die Sabbati XVIII. Decembris, ex Magiſtro Sacri Palatii ad Cardinalatus dignitatem evexit Eugenius Titulo primum S. Sixti, tum S. Mariæ trans tyberim. Eccleſiis poſtea, Oſtienſi, Præneſtinæ, Albanenſi jus dixit, ac Aurienſi etiam præfuit. Legionenſis inſuper Epiſcopus renunciatus eſt, ac variis Legationibus claruit, ut notat doctiſſimus Bremond in Appendice ad Conſtitutiones Eugenii IV. citato Tomo III. Dominicani Bullarii pag. 268.

II. Fuſius hoc loco de ipſo Joanne diſſerere ſupervacaneum puto; paſſim enim de eo Auctores loquuntur, ac præ-

ſertim

Digitized by Google

ſertim Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpanica Lib. x. Cap. x. Num. dxv. & ſeq. & Echard Tomo i. Scriptorum anno mcdlxviii. pag. 837. & ſeq. Plura autem & ego dicam in Opere, quod propediem ſum editurus in lucem de Pontificibus Maximis, ac S. R. E. Cardinalibus ex Ordine Prædicatorum aſſumtis una cum eorum imaginibus ære inciſis. Ut autem omnibus innoteſcat, quanta fuerit Joannis de Turrecremata doctrina, & quam proficua Catholicæ Eccleſiæ, Florentina Oecumenica Synodus ſatis expreſſit, ubi eum inſigni Titulo *Defenſoris Fidei* donavit. Plurimum ei Roma debet, quod in Templo S. Mariæ ſuper Minervam Societatem ſub nomine Annunciatæ Virginis erexerit, cujus intereſt quotannis in Feſto SS. Annunciatæ Deiparæ puellas Romanas inopes certa pecuniæ quantitate nuptui tradere. In Sacrario ejuſdem Eccleſiæ S. Mariæ ad Minervam fuiſſe ab ipſo Joanne Cardinale hos verſus appoſitos, docet inter alios Ciaconius, Tomo ii. col. 916. & ſeq. ubi Vitam ejuſdem Cardinalis deſcribit.

Ne male patrandis ſtupris, quod avara merendo
Forma puellaris ſæpe coegit inops.
Annua pauperibus ſtips eſt hic penſa viritim.
Dosque maritandis condita Virginibus.
Munus, & officium ſancti celebrate Quirites
Cum vicena venit Martia quinta dies.
Terreſtri ut cenſu cæleſtia Regna paretis,
Pollicita & vobis centupla meſſis erit.

III. Hæc Societas, quæ ab ipſo Joanne originem ſumſit, in tantum aucta eſt, ut ſuccedente tempore Leo X. Pontifex, dum in minoribus eſſet, cum ſere omnibus Cardinalibus illi adſcribi voluerit, Oliverio Carafa Cardinali Neapolitano Viro integerrimo ſuadente. Sic igitur aucta eſt maximis juribus, & proventibus, ut, eodem teſte Auctore, *cum ſuperioribus temporibus quadraginta, aut ad ſummum ſexaginta Virgines nuptui traderentur, hac noſtra tempeſtate ipſe Pontifex ducentis & amplius Virginibus pauperibus, quæ ſe viris matrimonio jungere volunt, ſcuta octuaginta in dotem donat, centum vero iis, quæ Deo ſe ſe de-*

Digitized by Google

deſponſare deſiderant. Subſecuta enim eſt Urbani VII. Pontificis Maximi largiſſima donatio, qui totum ſuum patrimonium prædictæ Societati conceſſit; quare mirum in modum Societas crevit. Quod quidem divinum Opus prædicto Joanni tanquam Auctori, & primo Fundatori debetur. Ita ille, cui adde quod de eadem re notavit eruditiſſimus Bremond in Conſtitutionem XLIII. Pauli Papæ III. quæ incipit, *Dum ad pia*, edita anno MDXXXVIII. die III. Novembris, legiturque Tomo IV. Bullarii Dominicani, pag. 573. & ſeq.: *Notandum*, inquit, *quod Annunciationis Feſto Summus Pontifex, Eminentiſſimi Cardinales, ceterique Præſules ampliſſimi, ſua præſentia cohoneſtant ſupplicationem, quam amplius trecentæ Virgines habent in ædibus ſacris S. Mariæ ſupra Minervam, cum ſcilicet tot illis Virginibus dos a præfata Confraternitate diſtribuitur.*

IV. Obiit tandem religioſiſſimus hic Cardinalis Romæ in Cœnobio S. Mariæ ad Minervam anno MCDLXVIII. die XXVI. Septembris, ſepultuſque eſt in Sacello Annunciationis Deiparæ cum hac ſimplici inſcriptione ejus tumulo tunc appoſita:

HIC QVIESCIT
DOM. JOANNES
DE TVRRECREMATA
NATIONE HISPANVS
EPISCOPVS SABINVS S.R.E. CARDINALIS
S. SIXTI
OBIIT XXVI. SEPTEMBRIS
ANNO DOMINI MCCCCLXVIII.
REQVIESCAT IN PACE.

Teſte Fontana in Syllabo, pag. 108. poſtmodum Societas Annunciatæ Virginis Fundatori ſuo nobiliorem tumulum cum ejus effigie, & ſtemmate ex ære parieti affixo ad altaris dexteram conſtituit, ſequenti appoſito elogio, quod nos oculis noſtris legimus, & propria manu deſcripſimus, ſicut & alia multa, quæ in hoc, & aliis Operibus noſtris retulimus, ſumma, quantum fieri potuit, diligentia adhibita; paſſim enim eam in rem Scriptores peccant

M F. JO-

Digitized by Google

F. JOANNI . HISPANO . VALISOLETANO
EX . VETERE . PVRA . NOBILIQVE . FAMILIA
DE . TVRRECREMATA
ORDINIS . PRAEDICATORVM
S. R. E. CARDINALI . EPISCOPO . SABINENSI
PIETATE . AC . DOCTRINA . CLARISSIMO
MVLTIS . LEGATIONIBVS . EGREGIE . FVNCTO
BEATAE . VIRGINIS . ANNUNCIATAE
SODALITAS
AVCTORI . SVO . POSVIT
OBIIT . ROMAE . VI. KAL. OCTOBRIS
AN. DOM. MCCCCLXVIII.
AETATIS . VERO . SVAE . LXXX.

Sub hac inſcriptione extat hæc alia in pavimento poſita.

D. O. M.
OSSA
FR. JOANNIS . DE . TVRRE-CREMATA
ORDINIS . PRAEDICATORVM
S. R. E. CARD. EPISCOPI . SABIN.

Legitur & hæc ultima inſcriptio apud laudatum Fontanam, priores autem duæ legi etiam poſſunt apud Ciaconium & Echard locis ſuperius citatis, atque apud Bremond Tomo III. Bullarii in Appendice ad Conſtitutiones Eugenii Papæ IV.

C A P. XXVI.

De Henrico Caltyſen, poſtea Archiepiſcopo Nidroſienſi.

I. TAmetſi tum Fontana in Syllabo, pag. 109. tum Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum, pag. XXI. in indice Magiſtrorum Sacri Palatii, Joanni de Turrecremata ad Cardinalatum evecto ſuffectum velint Fratrem Bartholomæum Lapatium, certum nihilominus eſt, atque indubitatum, poſt Joannem ipſum, creatum fuiſſe ab Eugenio IV. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum F. Henricum Caltyſen, ſeu Kaltyſen, & quidem die I. Maii anni MCDLX. uti conſtat ex Diplomate Eugenii ad eundem Henricum dato

dato die ac anno prædictis, quod deſcriptum eſt Tomo III. Bullarii Dominicani pag. 122. atque egregiis notis illuſtratum, ſicut & cetera ipſius Bullarii Diplomata, a doctiſſimo Antonino Bremond ejuſdem editore. Eſt autem Diploma illud hujus tenoris: *Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Henrico Caltyſen, Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, ac Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Religionis zelus, ſub qua præbes Altiſſimo famulatum, literarum quoque ſcientia, vitæ, ac morum decor, aliæque virtutes, quibus pollere dignoſceris, Nos inducunt, ut te ſpeciali favore, & honoris gratia proſequamur. Ex præmiſſis igitur de probitate ſumentes in Domino fiduciam ſpecialem, te Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici cum officio, exercitio, emolumentis, honoribus, & oneribus conſuetis, Auctoritate Apoſtolica facimus, conſtituimus, & deputamus; tibi nihilominus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, quibus ceteri Palatii dicti Magiſtri, qui pro tempore fuerunt, uti, & gaudere potuerunt, ſeu etiam debuerunt, de conſuetudine, vel de jure, plene gaudeas, & utaris, harum ſerie concedentes. Nulli ergo &c. noſtræ factionis, conſtitutionis, deputationis, & conceſſionis infringere &c. Siquis autem &c. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, Kalendis Maii, Pontificatus noſtri anno decimo.*

II. Lapſus eſt itaque Echard, qui Tomo I. Scriptorum anno MCDLXV. pag. 828. ſcribit, *evecto anno MCDXLIII. ad Eccleſiæ Argolicenſis Infulas Bartholomæo Lapatio Sacri Palatii Magiſtro, mox ei a Pontifice*, nempe Eugenio IV. *ſuffectum fuiſſe Henricum ad idem munus Magiſterii, quod annis decem circiter cum ſumma laude geſſit.* Evectus enim fuit Henricus anno MCDLX. die I. Maji, ut dictum eſt, & deinde anno MCDLII. a Nicolao V. qui Eugenio IV. ſucceſſit, ad Archiepiſcopatum Nidroſienſem in Norvegia promotus, obiitque die II. Octobris anno MCDLXV. ut in ipſius Epitaphio legitur, relato Tomo III. Bullarii Dominicani

nicani pag. 122. quod eſt hujuſmodi: *Anno MCCCCLXV. ſecunda Octobris obiit R.D.Henricus a Kaltyſen Ord.Præd. Sacri Palatii Magiſter Archiepiſcopus Nidroſien, & Cæſarien. filius hujus Conventus*, Confluentiæ ſcilicet in Germania.

III. Plura de hoc Henrico notat eruditiſſimus Bremond citato Tomo III. Bullarii, pag. 122. ubi refert Diploma, quo ille ab Eugenio IV. creatus fuit Magiſter Sacri Palatii, eaque lubet hoc loco deſcribere, ut de tanto Viro plenior habeatur notitia. Henricus Caltyſen, ait, ſeu, Kaltyſen, ut in ipſius Epitaphio Confluentiæ legere eſt. Kalt-Eyſen nuncupatur ab Echard Tomo I. Scriptorum Ordinis ad annum MCDLXV. pag. 828. In Faſtis Academicis Lovanienſibus, Cap. XIV. Valerius Andreas ipſum corrupte vocat Calyſer. Patria fuit Confluentinus. Hinc Henricus de Confluentia dicitur a Joanne Nyder Lib. III. Formicarii, Cap. III. Ejuſdem meminere quamplures Scriptores, quos laudat, & excipit Echard mox citatus. Eos inter Eyſengrenius ad annum MCDLXIII. Henricum noſtrum Virum diſertiſſimum non minus vita, quam eloquentia ſpectatum, Theologorum ſua ætate Principem fuiſſe, teſtatur. Floruit Henricus in Baſileenſi Concilio adverſus Bohemos, ut addiſcere eſt ex Ænea Sylvio, poſtea Pio II. in Hiſtoria Bohemica apud Ortvvinum Gratium in Faſciculo rerum expetendarum pag. 255. & inter Scriptores Bohemicos Freheri, pag. 118. Is eſt Henricus cognomento frigidum ferrum, qui Johanne Cochlæo teſte in Hiſtoria Huſſitarum Lib. VI. ad annum MCDXXXIII. per tres dies reſpondit ad tertium Articulum Bohemorum. Is ipſe ſiquidem Henricus, *Kaltyſen*, atque *Kalteiſen*, nominatur ab aliis, qui diſſertationem, ſeu orationem illam per triduum habitam in Concilio Baſileenſi tranſcribunt. Conſulendi Bzovius in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum MCCCCXXXIII. Num. CCLIV. Caniſius Tomo IV. Lect. Antiq. Binius, & Labbeus in Concilio Baſileenſi. Nec iſtis adverſatur Cochlæus, ſed vernaculum cognomen Henrici Latine ſcribit. Germani etenim frigidum *Kalt*, ferreum *eyſen* appellant.

IV. No-

IV. Notat hæc eruditiſsimus Bremond citato Tome III. Bullarii, pag. 122. aliaque de eodem Henrico tradit pag. 328. ejuſdem Tomi in Appendice ad Conſtitutiones Nicolai V. ubi refert Archiepiſcopos, Epiſcopos, Legatoſque Apoſtolicæ Sedis ex Ordine ſuo Prædicatorum ſub Nicolai Pontificatu aſſumtos. Sane poſt relatos varios Auctores, qui de laudato Henrico ſcripſerunt, notandum inquit, quod Fontana in Theatro Dominicano, Parte 1. Cap. IV. Titulo XXV. pag. 66. Echard Tomo 1. Sriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MCDLXV. pag. 828. aliique nonnulli Henricum Kaltyſen non diſtinguunt ab Henrico Teutone Archiepiſcopo Cæſarienſi, de quo dictum fuit ab eodem Bremond in Appendice ad Urbanum V. Tomo II. Bullarii, pag. 262. Henricus quippe Kaltyſen ab ipſis Archiepiſcopus Nidroſienſis, & Cæſarienſis ita conſtituitur, ut Fontana locis mox laudatis ipſum utriuſque Sedis Archiepiſcopum eadem die renunciatum fuiſſe doceat. Verum quod Henricus iſte diſtinguendus ſit ab alio Henrico Teutone, qui florebat anno MCCCLXV. auctores ſunt Plodius, Razzius, & Altamura, quos excipit Cavalerius Tomo 1. pag. 268. Num. CXC. Quod autem Henricus Kaltyſen Archiepiſcopatus Cæſarienſis Titulo donatus fuerit, nulli dubium eſt, id enim legitur in antiquis Epitaphiis, quæ refert Echard. Scitiſſime vero ſubdit laudatus Bremond, vix credi poſſe quod utriuſque Sedis Archiepiſcopus eadem die creatus ſit, licet id pluries Fontana aſſerat, ſed nunquam tamen probat. Autumat ergo Bremond, reducem ex Pontificia Legatione, qua fungebatur anno MCDXLVIII. Henricum Kaltyſen, Archiepiſcopum Cæſarienſem conſtitutum fuiſſe, poſtea vero Nidroſienſem. Varia Henrici Opera recenſet Echard citato ſuperius loco.

V. Quoniam tandem non modo Fontana, ſed & Plodius, Fernandez, Cavalerius, Echard, & alii, Turrecrematæ ad Cardinalatum evecto, non Henricum Kaltyſen, ſed Bartholomæum Lapaccium, ſeu Lapatium, & ut quidam ajunt, Lupatium, ſuffectum velint, antequam finem huic Capiti faciam, operæ pretium duxi deſcribere hoc

Digitized by Google

hoc loco quod idem Bremond docet Tomo III. Bullarii pag. 216. ubi agens de ipſo Bartholomæo ſolide memoratos Auctores confutat. Fuit quidem Bartholomæus Magiſter Scholarum Sacri Palatii Apoſtolici, ut conſtat ex Diplomate Eugenii IV. dato anno MCDXXIV. XVII. Kal. Maii, apud eundem Bremond loco citato, non autem Sacri Palatii Magiſter: *Sed diſtinguendi*, inquit laudatus Auctor, *Magiſtri Scholarum Sacri Palatii Apoſtolici a Magiſtris ejuſdem Sacri Palatii. Magiſtri Scholarum Sacri Palatii Apoſtolici, ut alibi notatum fuit, ii dicebantur, qui Scholas illas habebant in Sacro Palatio, quæ nunc Romæ ſunt in Gymnaſio, cui a Sapientia nomen eſt. Omnium Ordinum, Prædicatorum, Minorum, &c. Doctores id munus obire poterant. Officio Magiſtri Sacri Palatii, quod deſcribitur ab Eugenio IV. in Conſtitutione CLXV. pag.* 81. *hujuſce III. Tomi, Soli Fratres Prædicatores ab illo munere conſtituto ad hanc uſque diem functi ſunt. Magiſter Sacri Palatii per id tempus erat F. Johannes de Turrecremata. Hoc enim munere donatus fuit ab anno MCDXXXI. ad annum uſque MCDXXXIX. ut videre eſt apud Echard Tomo* 1. *Scriptorum Ordinis ad annum MCDLXVIII. pag.* 837. *Hoc autem anno MCDXXXIV. Bartholomæus noſter Magiſter erat Scholarum Sacri Palatii Apoſtolici, ut ex hac Conſtitutione probatur.* Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei &c.

VI. Ceterum quis fuerit iſte Bartholomæus, mea non intereſt, conſulendus idem Bremond, & alii Auctores Dominicani Inſtituti. Unum ego addiderim, licet diſtinguerentur vel olim Magiſtri Scholarum Sacri Palatii, ſeu Lectores, qui ipſis ſcholis legebant, a Sacri Palatii Magiſtris, præſertim ab Eugenii IV. Pontificatu, a quo fuerunt aucti honores, & extenſa officia Magiſtrorum Sacri Palatii, legiſſe tamen & hos in Sacri Palatii Scholis, quibus præerant. Videſis quæ diximus ſupra Lib. I. Cap. II. & aliis locis ejuſdem Libri I. in quibus illorum opinionem, ſive potius errorem confutavimus, qui perperam contendunt, etiam ex aliis Religioſis Ordinibus fuiſſe aliquando a Summis Pontificibus Magiſtros Sacri Palatii aſſumtos.

CAP.

Digitized by Google

C A P. X X V I I.

De F. Jacobo Ægidii.

I. E Vecto Henrico Kaltyſen, & quidem anno MCDLII. ad Archiepiſcopatum Nidroſienſem, Nicolaus Papa V. Sacri Palatii Magiſtrum eodem anno creavit Jacobum Gil, latine Ægidii, Aragonenſem, ſeu Valentinum natione. Poſtquam is variis in locis Theologiam edocuit, Prior Provincialis Aragoniæ in Comitiis Prodiicerdani anno MCDXLV. coactis electus fuit. Extant Tomo III. Bullarii Dominicani, pag. 259. Nicolai V. Litteræ datæ anno MCDXLVIII. die XXVIII. Auguſti, in quibus Pontifex Aragoniæ Provinciali agendi rationem præfinit. Fit in ipſis Litteris mentio laudati Jacobi Ægidii, ex iiſque addiſcimus, carum fuiſſe ipſum Alphonſo Aragoniæ Regi. Teſte erudito Echard Tomo I. Scriptorum ad annum MCDLXV. pag. 831. Titulo Provincialis Aragoniæ Jacobus ipſe Ægidius in Comitiis Generalibus Anicii in Velaunis anni MCDXLVII. tum Lugduni MCDL. ac Romæ MCDLI. ſedit; ex eoque munere, quod novem circiter annis geſſit, a Nicolao V. acceſſitus, Romam venit anno MCDLII. circiter, & Magiſter Sacri Palatii declaratus vixit ad annum uſque MCDLXV.

II. Extat Tomo III. Bullarii Dominicani Diploma Calliſti Papæ III. datum anno MCDLVI. die XIII. Novembris, quo edicitur, ut Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter examinet orationes habendas in Pontificia Capella coram Summo Pontifice, ſitque in eo Diplomate mentio Ægidii, qui tunc temporis eo munere fungebatur: *Auctoritate Apoſtolica*, inquit, *& ex certa ſcientia ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus de cetero cujuſcumque præeminentiæ, gradus, ordinis, vel dignitatis exiſtat, Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus dumtaxat exceptis, ſermonem in eadem Capella præſumat habere, niſi illud ſibi a dicto Filio Fratre Jacobo Aegidii Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Profeſſore, moderno, & pro tempore exiſtente Magiſtro Sacri Palatii, fuerit ante commiſ-*

Digitized by Google

miſſum, ipſeque ſermo ab eodem Magiſtro prævisus, accuratus, examinatus, ſi opus extiterit, ante correctus, & emendatus, ac ſufficiens, ut in conſpectu Romani Pontificis haberi valeat, reputatus fuerit. Integrum Diploma deſcripſimus ſupra Lib. I. Cap. XIII. ubi recenſuimus privilegium Magiſtro Sacri Palatii conceſſum, & quidem ante Calliſtum III. Pontificem examinandi conciones in Pontificio Sacello habendas.

III. Legendus potiſſimum de hoc Jacobo Scriptore Diagus in Hiſtoria Provinciæ Aragoniæ Lib. I. Cap. XXXVII. Laudatur etiam a Bandello in priore Operum editione anonyma, & dicitur *Jacobus Catalanus Magiſter Sacri Palatii*; in poſteriori autem anni MCDLXXXI. dicitur *Jacobus Aegidius de Barchinonia Sacri Palatii Magiſter*. Ex quibus evincitur unum & eundem eſſe hominem a Bandello diverſo agnomine deſignatum, cum unicus ſit hujus nominis Jacobi & ejus nationis Sacri Palatii Magiſter. Hinc emendandi, Altamura, Luſitanus, & alii, qui ob varium a Bandello agnomen in duplici editione adſcriptum, in duos dividunt. Fatendum etiam, erraſſe Bandellum, cum eum Barcinonenſem & Catalanum putavit, qui re vera Valentinus fuit, & Sætabus, ejuſdem tamen Aragoniæ Provinciæ. Concilio ipſum Florentino Oecumenico adſuiſſe, narrat in ſuis Monumentis Fontana, & in Syllabo pag. 113. nec repugnaverim, ſed ab Alphonſo Aragoniæ Rege, ut vult, miſſum, dubitat Echard, quod Hiſtorici ejus ætatis prodant, adeo illum Regem his annis in Eugenium exarſiſſe, ut ei pararit inſidias, ne Ferrariam accederet, atque cum Pontifice reconciliatum, niſi anno MCDXLIII. Concilio tum dimiſſo.

IV. Teſte laudato Echard, hæc ſunt Ægidii Opera: *Epiſtola per modum tractatus ad Alphonſum Aragoniæ de Conceptione B. Virginis*, data Romæ die XXVI. Auguſti anno MCDLIV. Extabat mſſ. eadem epiſtola in Bibliotheca Altempſiana, nunc in Archivo Ordinis Prædicatorum Romano: *Officium Transfigurationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti juſſu Calliſti III.* qui ſcilicet hoc Feſtum inſtituit ob inſignem

Digitized by Google

ſignem de Turcis anno MCDLVI. die VI. Auguſti reportatam victoriam. Hoc officium illud idem eſt, exceptis Hymnis, quod per Eccleſiam Romanam etiamnum recitatur, ac de quo ſic legitur in Actis Capituli Generalis Fratrum Prædicatorum Novariæ anno MCDLXV. habiti: *Item de Feſto Transfigurationis Domini fiat totum Duplex per totum Ordinem in craſtino Feſtivitatis B. Dominici*; quia nimirum apud ipſos Fratres Prædicatores celebrabatur hoc Feſtum die V. Auguſti. Sed audiamus laudata Acta: *De quo Feſto a venerando Magiſtro F. Jacobo Aegidii Sacri Palatii Magiſtro, jubente Summo Pontifice, qui hujuſmodi Feſtum per univerſum Orbem celebrari conſtituit, Officium compoſitum tenore præſentium approbamus mandantes univerſis, & ſingulis noſtri Ordinis Provinciarum, & Conventuum Præſidentibus, ut tale Officium tranſcribi, quamprimum poterit fieri, procurent, & uniformiter ab omnibus tam publice, quam privatim dici faciant.* Quæ ordinatio ibidem dicitur jam in duobus aliis generalibus Capitulis conſtituta. Porro vitam cum morte commutaſſe Jacobum Ægidii circa annum MCDLXV. docet inter alios memoratus Fontana.

C A P. XXVIII.

De F. Leonardo Manſueto, poſtea Generali ſui Ordinis Magiſtro.

I. JAcobo Ægidii ſucceſſit in Magiſterio Sacri Palatii F. Leonardus Manſuetus, ſeu de Manſuetis, Peruſinus, qui adoleſcens Ordinem Prædicatorum amplexus in Patria, ſic emicuit inter æquales, ut per omnes Scholæ gradus Lauream tandem Magiſterii obtinuerit. Florentiæ anno MCDXXXVIII. Baccalaureum aggregatum, narrat Badius, & ex eo Echard, Tomo I. Scriptorum anno MCDLXXIV. pag. 848. Ad ſuperiora deinceps Ordinis ſui munia evectus, poſtquam Provinciam Romanam Præfectus Provincialis rexiſſet, Sacri Palatii Magiſter anno MCDLXV. a Paulo II. inſtitutus eſt, eoque munere functus eſt ad an-

Digitized by Google

num uſque MCDLXXIV. quo Romæ in generalibus Comitiis Martiali Auribellio Magiſtro Generali Fratrum Prædicatorum defuncto ſucceſſor datus fuit, & Magiſter ipſe Ordinis communibus ſuffragiis electus, Sixto IV. cui acceptus erat, in primis applaudente. Romæ tandem commune debitum ſolvit anno MCDLXXX. ſeptimo Kal. Auguſti, ſeu die XXVI. Julii, ut habet Leander, vel XXVII. ut ſcribit Fontana in Syllabo pag. 115. fuitque in Templo S. Mariæ ſuper Minervam ſepultus cum hac inſcriptione, quam refert idem Fontana, ſed non ita exacte.

LEONARDO MANSVETO PERVSINO
THEOLOGO SAPIENTISS. VIRO INTEGERIMO OMNIBVS RELIGIONIS PREDICA. OFF. PRO ME. FVNCTO. A PAVLO II.
SAC. PALATII MAGISTRO DESIGNATO
DEMVM SVB XYSTO IIII. PONT. MAX. CONSENSV PV. ROME IN GENER. ASVMPTO
RELI. PATRI OP. AC B. M. ET SOLI
VIX. A. LXVI. M. VI. D. XXVI.

CAP. XXIX.

De F. Salvo Caſſeta, poſtea Magiſtro Ordinis ſui Generali.

I. Electo in Generalem Ordinis Prædicatorum Magiſtro anno MCDLXXIV. F. Leonardo de Manſuetis, ſuffectus eſt in Sacri Palatii Magiſterio, quo ille fungebatur, Fr. Salvus Caſſeta Siculus Panormitanus, ibidemque S. Dominici inſtitutum profeſſus, is evaſit, ut per illuſtriora Ordinis ſui munia ad ſupremum tandem aſcenderit; uti poſt alios obſervat, notatque Echard Tomo I. Scriptorum anno MCDLXXXI. pag. 859. Variis in ſua Siciliæ, ſeu Trinacriæ Provincia Scholæ, & Conventuum regiminis functus muneribus, pro eadem in Comitiis Senis anno MCDLXII. in Feſto Aſſumtionis Beatæ Virginis contra morem habitis ſedit Diffinitor, & in Actis dicitur præterea Procurator Ordinis Generalis, ſeu in eo officio jam antea a Ma-

a Magiſtro Generali Martiale Auribellio poſitus, ſeu tum primum a Conrado Aſtenſi in Martialis a Pio II. Papa depoſiti locum inſtitutus. Non diu tamen, nec ultra Pii II. Pontificatum hoc munus obiiſſe videtur laudatus Caſſeta, ſed a Paulo II. anno MCDLXIV. Kalendis Septembris electo datus eſt in Siciliæ Inſula, ſeu Trinacriæ Fidei Cenſor generalis, quod & toti Ordini viſum eſt denunciandum in Actis Capituli generalis Romæ habiti anno MCDLXVIII. in quibus ſic habetur denunciatio v. *Item denunciamus, Magiſtrum F. Salvum Caſſettam de Panormo Provinciæ Trinacriæ Diffinitorem præſenti Capituli*, ſcilicet vice ſui Provincialis abſentis, nam erat Capitulum Provincialium, *inſtitutum fuiſſe per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Inquiſitorem hæreticæ pravitatis per totum Regnum Siciliæ ultra Pharum*. Extant Tomo III. Bullarii Dominicani pag. 510. Sixti IV. Litteræ datæ die XXI. Januarii anni Domini MCDLXXIV. *Dilecto Filio Salvo Caſſetta in Provincia Siciliæ pravitatis hæreticæ Inquiſitori*, in quibus eidem mandat, ut frumentum e Sicilia Romam mittendum curet. Advectum vel olim a Sicilia frumentum Romam, priſci Auctores docent. Sed his omiſſis, ſic in fine Litterarum memoratus Pontifex concludit: *Ita te in hujuſmodi tam neceſſaria re gerere ſtudeas, ut de diligentia, & bonis tuis operibus venias apud nos non immerito commendandus*.

II. Venit Romam Caſſeta, & quod muneribus eidem impoſitis egregie, fortiter, ſtrenueque functus fuiſſet, eodem anno MCDLXXIV. a Sixto Papa IV. ſelectus fuit Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, ipſique Pontifici ſic fuit acceptus, ut nemo familiaris magis. Anno ſequenti MCDLXXV. facultatem dedit Salvo ipſi Caſſetæ Pontifex, ut Fr. Petrum de Hanturlibus ad Doctoris gradum promoveret, extatque Tomo III. Dominicani Bullarii pag. 534. eam in rem Diploma Sixti IV. Pontificis ad ipſum Salvum de Panormo Ordinis Prædicatorum Magiſtrum Sacri Palatii directum, datum Romæ prædicto anno MCDLXXV. die XI. menſis Novembris, de quo nos ſupra fecimus mentionem Lib. I. Cap. VI. Teſte Olmeda, quem citat Fontana in

Digitized by Google

Syllabo pag. 116. *huic Sixtus interdum blandiens dicere ſolitus erat*: Felicior tu cunctis, qui nondum perſeveraſti uſque in finem, & ſalvus es. *Cui ille reſpondens ajebat*: Utinam non infelicior, qui nomen habeam, quod vivam, & mortuus ſim. *Ab codem quoque*, inquit Fontana, *excipi ſolebat in hæc verba*: Salve Salve.

III. E vivis tandem erepto anno MCDLXXX. Leonardo de Manſietis, in Comitiis anno ſequenti habitis Romæ Sabbato in Vigilia Pentecoſtes, quæ eo anno in diem IX. Junii incidit, non per ſcrutinium, ſed, ut in ipſorum Comitiorum Actis habetur, *per communem inſpirationem unanimiter, & concorditer, ac pacifice Salvus ad ſupremum regimen Ordinis Prædicatorum aſſumtus fuit*. Teſtatur id quod idem Pontifex Sixtus IV. ſuo Diplomate dato die XXI. Januarii anni MCDLXXXII. legiturque citato Tomo III. Bullarii, pag. 607. ubi confirmans ipſam electionem eo modo peractam, inter alia ita laudatus Pontifex ait: *Sane dudum officio Generalis Magiſtri dicti Ordinis, quod quondam Leonardus de Manſuetis de Peruſio dicti Ordinis Magiſter, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Leonardi, qui in Romana Curia diem clauſit extremum, vacante, dilecti Filii Capitulum Generale Fratrum dicti Ordinis pro futuri ejuſdem Ordinis Magiſtri celebranda electione, vocatis dicti Ordinis Profeſſoribus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujuſmodi commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut eſt moris, convenientes in unum in Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe, te tunc in eodem officio ſic vacante, Sedis Apoſtolicæ Vicarium in Generalem Magiſtrum dicti Ordinis per viam Spiritus Sancti, & communem inſpirationem ejus concorditer elegerunt &c.* Itaque facta eſt ea electio, non per ſcrutinium, ſed per communem inſpirationem, & publicam vocem, ait Fontana, *ut Pontifici Maximo id enixe petenti ſatisfacerent Patres*; quia ſcilicet noluit prudentiſſimus Pontifex ſua Pontificia auctoritate uti abſque conſenſu Fratrum, ad quos electio pertinebat, ſupremum eorum Moderatorem renunciare.

IV. Tan-

Digitized by Google

IV. Tanti vero Salvus ab ipſo Sixto Pontifice habitus fuit, ut eum ad Fridericum III. Imperatorem, Principeſque Germaniæ anno MCDLXXXII. Legatum miſerit de arduis Eccleſiæ negotiis apud ipſos acturum. Aderat Coloniæ Agrippinæ initio anni MCDLXXXIII. quo, tertio Idus Januarii B. Alberti Magni Sepulchrum aperiri juſſit, ejuſque Corpore in decentiorem locum translato, brachium alterum ſecum Romam deferens, Summo Pontifici munus gratiſſimum dedit. Pro rebus feliciter in Legatione geſtis ſperabatur proxima promotione Collegio Cardinalium cooptandus, cum infirmitate correptus intra paucos dies e vivis Romæ ereptus eſt die xv. Septembris ejuſdem anni MCDLXXXIII. ingenti relicto omnibus, ſuiſque potiſſimum deſiderio. Sepultus eſt in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam hac inſcriptione ejus tumulo appoſita, quam deſcribit inter alios Fontana pag. 117. ſed ita tamen legenda.

SALVO CASSETAE PANORMITANO SVMO THE-
OLOGO. HERESIS AN. XXVI. INQVISITORI. SACRI
PAL. MAGRO VII. CETERISQ. PREDICATORV
MVNERIBVS PCLARE FVNCTO. DEMV SVI
ORD. INCREDIBILI OIVM COSENSV. GNALI
ASSVMPTO. MISSO PRO ARDVIS ECC. REBVS
A SIXTO IIII. PONT. MAX. IN GERMANICA LEGATIONE
ET RE EX VOTO PERFECTA REVERS.
DE SE MAIORI SPE DESIDERIOQ. RELICTIS.
PRI OP. AC B. M. ORD. F. C. AN. AGENS LXX. OBIIT
XVII. KAL. OCTOB. AN. SALVTIS M. CCCCLXXXIII.

Iſta inſcriptio, ſicut & illa F. Leonardi Manſueti pag. 98. relata, extat hodie in Clauſtro Cœnobii Minervitani in ea parte, qua ad Eccleſiam itur, & exarata utraque eſt in tabulis marmoreis, in quibus eorum imagines inſculptæ ſunt.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XXX.

De Fr. Marco Maroldo, poſtea Archiepiſcopo Rhegienſi.

I. POſt Salvi Caſſetæ ad Magiſterium Ordinis aſſumtionem, teſte Fontana in ſuo Syllabo, pag. 118. Sixtus IV. Sacri Palatii Magiſtrum nominavit P. F. Paulum de Monelia anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo primo. Sed hic etiam Fontana labitur; ſucceſſit enim Salvo in Sacri Palatii Magiſterio F. Marcus Maroldus, ſeu, ut alii ſcribunt, Maronus, eoque ad Rhegienſem in Calabria Eccleſiam evecto die XXVII. Julii anni MCDLXXXIX. F. Paulum Moneliam Innocentius VIII. ut docet Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDII. pag. 4. eidem muneri ſuffecit, circa menſem Junii anni MCDXC. Emendandus autem Echard, qui promotionem Maroldi, quem etiam Maranum appellat, ad Rhegienſem Archiepiſcopatum, ad annum MCDXC. retulit; promotus enim Maroldus fuit prædicto anno MCDLXXXIX. die XXVII. Julii, ut docet doctiſſimus Bremond Tomo IV. Bullarii Dominicani in Appendice ad Conſtitutiones Innocentii Papæ VIII. pag. 76. ubi deſcribit ipſius Pontificis litteras de ea re datas ad Ferdinandum Siciliæ Regem *anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono, ſexto Kal. Auguſti*; quibus confutat Ughellum, Fontanam, & Cavalerium, qui ajunt, Marcum ipſum renunciatum fuiſſe Rhegienſem Archiepiſcopum anno MCDLXXXVIII.

C A P. XXXI.

De F. Paulo de Monelia, poſtea Epiſcopo Cbienſi.

I. MArco Maroldo Sacri Palatii Magiſtro ad Rhegienſem in Calabria Eccleſiam evecto, & quidem die XXVII. Julii anno MCDLXXXIX. ut dictum eſt in Capite præcedenti, Paulum hunc Innocentius VIII. eidem muneri ſuffecit circa menſem Junii anno ſcilicet MCDXC. uti docet Echard

Digitized by Google

Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MDII. pag. 3. Fuit Paulus de Monelia, ſive *Moneglia* vulgo nuncupatus ex Juſtinianorum illuſtri Januenſi ſtirpe *de Moneglia* dictorum, natuſque eſt anno MCDXLIV. patre Pellegro Januenſis Reipublicæ aliquando apud Mediolanenſem Ducem Legato, & Oratore. Prædicatorum Ordinem adoleſcens ætatis ſuæ anno XIX. Chriſti vero MCDLXIII. amplexus eſt Januæ in Cœnobio S. Mariæ ad Caſtellum; profeſſuſque, ſic eruditione, morum compoſitione, & gravitate claruit, ut Magiſterii laurea decoratus, Conventus S. Dominici Januenſis, in quem filiationem ſuam transferri curaverat, unanimi ferme electorum voto Prior electus fuerit, & a Magiſtro Ordinis Leonardo de Manſuetis tum Januæ præſente confirmatus die IX. Auguſti anni MCDLXXVI. ut ex actis ejuſdem Leonardi liquet, quæ ita inquiunt: *Magiſter Paulus de Monelia Conventus Januenſis, qui fuit electus a majori parte Fratrum Conventus S. Dominici de Janua in Priorem, paucis exceptis, ſcilicet quinque, vel ſex, qui ſua vota compromiſerunt in Magiſtrum Reverendiſſimum &c. fuit confirmatus coram omnibus Fratribus Conventus, & coram R. Provinciali cum ſolita poteſtate &c. Datum Januæ die ix. menſis Auguſti, MCDLXXVI.*

II. Peruſii poſtea Studii generalis Regens inſtitutus, bellorum occaſione Januam repetere coactus eſt anno Chriſti MCDLXXXIV. ſequenti vero anno Provinciæ Lombardiæ ſuperioris tum S. Petri Martyris dictæ Prior Provincialis electus, a Magiſtro Ordinis Bartholomæo de Comazzio tum Neapoli agente confirmatus fuit die XXIII. Februarii, ut ejuſdem Bartholomæi Acta teſtantur his verbis: *M. Paulus de Monelia Genuenſis, qui per acta Capituli*, generalis ſcilicet Romæ die x. Octobris anno MCDLXXXIV. extra morem habiti, *erat deputatus Regens Peruſiæ, propter bella removetur a dicta aſſignatione, & aſſignatur in Conventu ſuo Genuenſi*. Tum vero mox in eiſdem Actis ſic legitur: *R. P. Paulus de Monelia Genuenſis confirmatur in Provincia Lombardiæ Provincialis. Datum Neapoli* XXIII. *Febr.*

Febr. MCDLXXXV. Eo dum munere fungeretur anno Chriſti MCDLXXXIX. cujuſdam F. Hieronymi de Rapallo Januenſis calumniis impetitus, & a Magiſtro Ordinis F. Joachimo Turriano, accuſatoris artibus circumvento, die v. Auguſti gradu dejectus, non multo poſt ejus innocentia, accuſatoriſque calumnia detecta, die XXVIII. Novembris ejuſdem anni Litteris Romæ datis in integrum reſtitutus eſt, eodemque anno Bartholomæum Imperiali inter, & Joannem Antonium de Aſſereto Januenſes, a partibus ſelectus arbiter, ut ex compromiſſo litem eorum dirimeret, ac finiret, conſenſit idem Turrianus litteris Romæ datis die IV. Decembris prædicti anni MCDLXXXIX. Sic enim docent nos Acta ſub laudato Magiſtro Ordinis Joachimo Turriano: *Dirigitur litera M. Paulo de Monelia Conventus Genuenſis, in qua abſolvitur ab infamia per F. Hieronymum de Rapallo impoſita, qui convictus de mendacio exulatur a Conventu per decem annos. Datum Romæ xxviij. Novemb.* MCDLXXXIX. Tum vero ibidem: *M. Paulus de Monelia poteſt accipere compromiſſum ſuper cauſa vertente inter D. Bartholomæum Imperialem, & D. Jo: Antonium de Axereto, & terminare &c. Datum Romæ iv. Decembris*, anno ſcilicet MCDLXXXIX.

III. Poſt hæc promotus quidem fuit Paulus de Monelia ab Innocentio VIII. ad Sacri Palatii Magiſterium, quod vacarat per aſſumtionem Marci Maroldi, qui eo munere fungebatur, ut ſuperius dictum fuit, ad Rhegienſem Archiepiſcopatum; ipſique Paulo jam anno MCDXC. Magiſtro Sacri Palatii plures immunitates, & gratias conceſſit, ut ex ipſius Actis conſtat datis Romæ prædicto anno, die XX. Junii: *Magiſter Paulus de Monelia Magiſter Apoſtolici Palatii recipitur ad gratias, & ſuffragia Ordinis, & poteſt tenere pecunias, & diſpenſatur ſuper eſu carnium, poteſt equitare, & tenere duos Fratres &c.* Quæ quidem probant, tum primum ad Magiſterium Sacri Palatii fuiſſe Paulum aſcitum, ut obſervat Echard citato Tomo II. pag. 3. corrigendumque iccirco quod idem Auctor ſcribit Tom. I. pag. XXI. in Indice Magiſtrorum Sacri Palatii, ubi ait, fun-

functum Paulum eo munere ab anno MCDLXXXVII. ad annum MCDXC. Porro notatu dignum illud eſt, Paulum ipſum dum Romæ gradum Magiſtri Sacri Palatii teneret, conſtitutum fuiſſe anno MCDXCIV. a laudato Joachimo Turriano Magiſtro Ordinis in tota ditione Januenſi Fidei Quæſitorem, ut patet ex litteris Romæ datis prædicto anno die VI. Aprilis: *R. M. Paulus de Janua Magiſter Sacri Palatii ſit Inquiſitor totius Provinciæ Marchiæ Januenſium &c.* Verba ſunt Actorum ſub eodem Turriano tunc Prædicatorum Ordinis Magiſtro; emendanduſque eſt Fontana, qui in ſuo Syllabo pag. 118. ita de ipſo Paulo de Monelia ait: *A Salvo Caſſeta generalis Inquiſitor Liguriæ creatus fuit (tunc enim Inquiſitores in Chriſtiano Orbe a Magiſtris Generalibus Ordinis noſtri ex Apoſtolica conceſſione inſtituebantur, ut alibi referemus) anno MCDXCIV. cum retentione tamen Magiſterii Sacri Palatii &c.* Sed hujus Auctoris pace, qui fieri potuit, ut Paulus generalis Inquiſitor Liguriæ creatus fuerit a Salvo Caſſeta anno MCDXCIV. ſi teſte eodem Fontana in ipſa eadem pagina 118. Syllabi ſui Caſſeta obiit *anno ſalutis* MCDLXXXIII.

IV. Eſt autem ejus opinionis Jacobus Echard, Paulo ob graviora negotia in Liguria agente, Ludovicum de Ferraria ejuſdem Dominicani inſtituti, vices ejus in Sacro Palatio ſuppleviſſe. Certe Timotheus Peruſinus, ubi enarrat, Ludovicum iſtum de Ferraria Florentiam ab Alexandro VI. miſſum ad Hieronymum Savanarolam, qui ei Cardinalatum offerret, modo ſe non amplius prædicaturum polliceretur, quam dignitatem, & conditionem ille conſtantiſſime recuſavit, Sacri Palatii Magiſtrum eundem Ludovicum appellat; dicendumque iccirco quod alias notavit Echard Tomo 2. ad annum MCDXCVI. pag. 883. eo munere forte functum fuiſſe Ludovicum *non ex officio, ſed ceu vices gerentem Pauli de Moneglia tum abſentis, quem Fontana ait ab Alexandro VI. Inquiſitorem generalem Genuam miſſum ob majoris momenti negotia*. Fuit Ludovicus Ordinis ſui Procurator generalis, extantque Tomo IV. Bullarii Dominicani pag. 7. ad ipſum datæ Litteræ die XVI.

Auguſti anni mcdlxxxv. ab Innocentio Papa VIII. quibus Innocentius facultates Procuratori Generali Ordinis conceſſas ratas habet, firmat, & auget. Vide ibidem Notas eruditiſſimi Bremond pag.8. & pag.68. ejuſdem Tomi iv. in Notis ad Conſtitutionem xcv. laudati Innocentii VIII. Papæ, ubi alterius Ludovici itidem de Ferraria mentionem facit, ab eo, de quo modo loquuti ſumus, diſtinctum, qui Theologicam Cathedram in Patavina Univerſitate erectam primus obtinuit.

V. Quicquid vero de his Ludovicis ſit, ſuit Paulus de Monelia Vir ſummæ doctrinæ, atque prudentiæ, ac zelo etiam Religionis illuſtris, cumque anno mcdxcviii. die xxii. Julii una cum Urbis Gubernatore Alexander VI. Pontifex in Conſiſtorio Quæſitorem adverſus eos inſtituit, qui tunc Romæ cum Judæis in ritibus, & cæremoniis participare deferebantur, quos & ad frugem reduxit, uti liquet ex Decreto in Conſiſtorio die & anno prædictis recenſito: *F. Paulus de Monelia Magiſter Sacri Palatii cum Urbis Gubernatore fuit inſtitutus Inquiſitor contra multos, qui cum Judæis in cæremoniis, & ritibus participant, tam mulieres, quam viri, & fuere circa ducentum, quos omnes injunctis ſalutaribus pœnitentiis, S.R.E. reconciliavit, de quibus omnibus verbum habitum eſt in Conſiſtorio coram Sanctiſſimo die Veneris xxii. Julii habito*. Ab eodem deinde Alexandro Papa VI. anno ſequenti mcdxcix. die Veneris i. Februarii ad Chienſem Eccleſiam in Ægeo mari promotus, & in Hungariam Apoſtolicus Nuntius directus, Budæ anno mdii. vivere deſiit, ibidemque ſepultus fuit. Quod conſtat ex Actis Conſiſtorialibus, ex quibus ad eandem Chienſem Sedem per obitum Pauli vacantem, Benedictum Juſtiniani promotum habetur; ideoque iterum corrigendus Fontana, qui in citato Syllabo, pag. 119. ait, Paulum *eodem anno* mcdxcviii. quo creatus Chienſis Epiſcopus fuit, Budæ quieviſſe in pace. Ajunt, ſcripſiſſe Paulum eruditas poſtillas ſuper univerſa Biblia, ſed quæ ubi ſervantur, nemo prodit, ut jam ante nos eruditus Echard notavit.

CAP.

C A P. XXXII.

De F. Joanne Annio Viterbienſi.

I. VAcante Magiſterio Sacri Palatii per aſſumtionem Pauli de Monelia ad Chienſem Eccleſiam, Alexander Papa VI. ut recte inquit in Syllabo ſuo Fontana pag. 120. in ejus locum P. Fratrem Joannem Nannium Viterbienſem, quem communiter Scriptores Annium nuncupant, ſubſtituit eodem anno MCDXCIX. Natus eſt Annius Viterbii anno circiter MCDXXXII. adoleſcenſque in Patria in S. Mariæ *de Gradi* ad Ordinem Prædicatorum adſcitus, Vir fuit ſua ætate clariſſimus, linguarum non ſolum Græcæ, & Latinæ, ſed & Orientalium peritus, Scripturæ Sacræ ſtudio præterea ſedulo incumbens, unaque antiquarum hiſtoriarum perſcrutator aſſiduus, uti poſt antiquos Scriptores docet Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDII. pag.4. & ſeq. Ob ſuam doctrinam, probitatemque Summis Pontificibus acceptus, ac præſertim Alexandro VI. fuit ab iſto in locum Pauli de Monelia mox laudati allectus Sacri Palatii Magiſter, de quo ſic legitur in Actis Sanctorum ad diem XX. Maji in Vita Beatæ Columbæ Reatinæ, Num. CXLIV. *Clariſſimus Sacræ Theologiæ Profeſſor Magiſter Joannes Nanni*, en aliud illius cognomen, *de Viterbio Magiſter Sacri Palatii, qui apud domum Oratoris Illuſtriſſimi Regis Hiſpaniarum diutina infirmitate laborabat, torquebaturque gravius, cum a Sebaſtiano Confeſſore audiviſſet de B. Columba, ſe ejus precibus commendavit, & qui vix in lecto movere ſe poterat, ſubito ita convaluit, ut craſtino die in ponte S. Angeli Sebaſtiano dicto occurrerit.*

II. Sed non diu munere Magiſtri Sacri Palatii functus eſt Annius, nam obiit anno MDII. die XIII. Novembris ſepultuſque fuit in Eccleſia S. Mariæ ad Minervam, ubi ante gradus Sacelli Sancti Dominici extat hodieque marmorea tabula ejus imaginem repræſentans, cum hac inſcriptione in medio ipſius tabulæ exarata, quam nos diligenter deſcripſimus, quod eam corrupte Scriptores referant.

FRATRI JOANNI NANNIO VITER-
BIEN. ORD. PREDICATOR. DIVI-
NAR. LITTERAR. DOCTISS. SACRI
PALATII MAGISTRO EX PIETATE
POSITVM
VIX. AN. LXX. OBIIT XIII. NOVEMBR.
M. D. II.

Initio ejuſdem marmoreæ tabulæ ita legitur:

S. P. Q. VITER. PIETATE SVOR.
RESTAVR. CVRA. M. DC. XVIII.

Ideſt: *Senatus Populuſque Viterbienſis pietate ſuorum reſtaurandum curavit* MDCXVIII.

III. Varia ſcripſit Annius Opera, quæ accurate recenſet eruditiſſimus Jacobus Echard loco citato. Varia de hoc Scriptore eruditorum judicia; neque deſunt in re litteraria Viri primi ſubſellii, qui ipſum Joannem Annium, ſeu Nannium peſſime omnino habent, ac veluti falſarium antiquitatum architectum, impoſtoremque impudentiſſimum agunt; qui priſcorum Auctorum nominibus abuſus, conficta a ſe opera eis ſuppoſuerit, eaque inſuper fabuloſis Commentariis illuſtrarit. Sed tantum Virum, ſuumque civem ſolide perdocteque defendit ab ejus adverſariis Clariſſimus Franciſcus Mariani Græcæ linguæ Scriptor in Vaticana Bibliotheca, Oratione elegantiſſima pro Jo. Annio Viterbienſi Romæ edita anno MDCCXXXII. typis Joannis Zempel, cujus initium eſt: *Siquis in hoc Senatu totius litterariæ Reipublicæ &c.* Porro operæ pretium duxeram Orationem ipſam tametſi longiuſculam hoc loco deſcribere, abſtinui tamen, quod præſtantiſſimus Auctor novis argumentis, notiſque auctam eandem brevi ſit editurus in lucem.

CAP. XXXIII.

De Fratre Joanne de Ferraria.

I. E Communi mortalium luce Annio Viterbienſi ſublato ſuffectus eſt eodem anno MDII. ab Alexandro VI.

Digitized by Google

dro VI. Magiſter Sacri Palatii F. Joannes de Ferraria a Patria de more ſic nuncupatus, gentilitio autem nomine de Raſanellis, uti docet Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDXV. pag. 31. Vir fuit gravitate, doctrina, prudentiaque commendatiſſimus, aſſumtuſque ad ſuorum regimen, pluribus locis, & Conventibus præfuit Prior, Ferrariæ, Bononiæ, & alias. In hæreticam pravitatem Quæſitor inſtitutus, maximus in illo Fidei zelus, ſingularis pietas, inſignis doctrina, morumque candor illuxit, ut ait Fontana in ſuo Syllabo pag. 122. ubi etiam addit, Joannis virtutibus permotum Vincentium Bandellum Ordinis Prædicatorum Magiſtrum, illum ſibi in Socium delegiſſe, ac in defuncti Nanni, ſeu Annii Viterbienſis locum ab Alexandro VI. ſubſtitui curaſſe. Munere Magiſtri Sacri Palatii functum eſſe Joannem ad obitum uſque, Summis Pontificibus, & omnibus probatum, & acceptum, memoratus Echard ex antiquis Scriptoribus refert; ſed quando e vivis exceſſerit, minime Scriptores conveniunt. Fontana ex Olmeda vult mortuum anno MDXII. ejuſdemque opinionis eſt Altamura. Sed fides potius, ait Echard eſt danda Leandro Auctori æquali, & his ipſis annis ſcribenti, qui indicat annum MDXV. Hic enim Scriptor de Silveſtro Prierate agens, poſtquam notavit, hunc anno MDXIV. a Leone X. Romam vocatum, ut ſacras Litteras in Urbe doceret, ita plane addit: *Tandem anno* MDXV. *vita functo Joanne Ferrarienſi, Sacri Palatii Magiſter Romæ conſiſtens dictus eſt*. De Scriptis hujus Joannis nihil aliud Auctores proferunt, quam hoc Olmedæ teſtimonium, quod poſt Fontanam etiam Echard recenſet: *Fuit Joannes Eccleſiæ Romanæ gratus, verboque, & ſcripto famoſus, hiſtorias majorum temporum etiam ethnicas in promtu habens*.

CAP. XXXIV.

De Fr. Silveſtro de Prierio.

I. EXtincto Romæ, & quidem anno MDXV. Joanne de Raſanellis, qui vulgo de Ferraria cognominabatur,

tur, Sacri Palatii Magiſtro, a Leone X. tum Bononiæ cum Franciſco I. Galliarum Rege agente, ipſo etiam inſpirante Thoma Cajetano Ordinis Prædicatorum Magiſtro, eidem Leoni Pontifici acceptiſſimo ad idem munus ſuffectus eſt F. Silveſter Mozolinus, de Prierio vulgo dictus ab originis ſuæ loco, qui Aſtenſis Comitatus, & Feudi Oppidum eſt in ſubalpinis Inſubribus, & Pedemontii Principatu Prierio vernacule nuncupatum, ubi circiter anno Chriſti MCDLX. natus eſt. Adoleſcens annorum xv. nomen Sacro Prædicatorum Ordini dedit Genuæ in Conventu S. Mariæ de Caſtello, ſi Rovettæ fides, miroſque tum pietatis, tum eruditionis progreſſus fecit, ut brevi Lauream Magiſterii obtinuerit. Bononienſi Gymnaſio aliquando præfectus Regens, innumeros pene diſcipulos habuit, qui ad eum convolabant, quod modum explicandi canora voce pollens cum quadam etiam feſtivitate optimum haberet. Mox Senatus Veneti precibus invitatus, ad Gymnaſium publicum Patavinum ſe contulit, ubi Theologiam S. Thomæ docuit. Exinde Mediolanenſi Gratiarum, Veronenſi, Comenſique Conventibus præfuit Prior electus, ac poſtea etiam inſignis Congregationis ſuæ utriuſque Lombardiæ a Patribus anno MDVIII. Mantuæ ad Comitia congregatis, Caput & Vicarius generalis aſſumtus eſt; abſolutoque regiminis biennio, ad Bononienſe Cœnobium regendum fuit Prior electus; ſed non potuit intra domeſticos lares tantæ coarctari eruditionis fama; ſiquidem, ut narrat Echard, Tomo II. ad annum MDXXIII. pag. 55. *agente maxime Dominico Grimano tum Portuenſi Epiſcopo, a Julio II. audita Viri præſtantia, Romam aſcitus eſt anno* MDXI. *ut ſacras ibidem litteras publice profiteretur ſtatuto ſtipendio*. Sed corrigendus Echard, quippe qui ſui oblitus accitum hic ſcribit Silveſtrum Romam a Julio II. anno MDXI. cum alias pag. 31. ubi agit de Joanne Ferrarienſi, cui in Magiſterio Sacri Palatii ſucceſſit Silveſter, Leandri ſententiam amplexus fuerit, ajentis Silveſtrum vocatum fuiſſe Romam a Leone X. anno MDXIV. ut ſacras litteras in Urbe doceret, tum vero ſequenti anno, nempe MDXV. ab eodem Pontifice

tifice, mortuo Joanne ipſo Ferrarienſi, inſtitutum fuiſſe Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici.

II. Quicquid ſit, acceptiſſimus fuit Leoni Papæ Silveſter, uti conſtat ex epiſtola dedicatoria ejuſdem Silveſtri ad ipſum Leonem Summæ ſuæ Silveſtrinæ præfixam. Omnium primum fuiſſe Silveſtrum, qui falſa Lutheri dogmata convulſerit, ſcriptiſque cum illo conſeruerit, diſerte docent Panvinius in Chronico Eccleſiaſtico, Roverus Pontanus Carmelita Bruxellenſis Lib. I. *Rerum memorabilium* Jacobus Laingæus Scotus Theologus Pariſienſis in Vita Lutheri, Eyſengrenius ad annum MDXX. & alii. Joannes Tetzellius poſſet hanc ſibi merito arrogare palmam, ſed cum folia tantum, ut ita dicam, volantia ediderit, quorum vix ullum eſt exemplum, prærogativam hanc, & primatum inter Scriptores, qui Lutherum impugnaverunt, Silveſtro nemo, ut puto, negaverit, eamque rem ipſa Lutheri operum, geſtorumque ſeries confirmat. Teſte Fontana in Syllabo pag. 123. mandante Leone X. Pontifice, Silveſter *hæreſiarcham Lutherum judiciali ſententia damnavit. Vitam cum morte commutavit doctiſſimus Vir anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio poſt completam Apologiam de convenientia inſtitutorum Romanæ Eccleſiæ cum evangelica libertate adverſus Lutherum, quæ Venetiis poſthuma in lucem prodiit anno* MDXXV. Sed falſo non modo a Fontana, ſed a Poſſevino, Altamura, & aliis tribuitur Libellus iſte Silveſtro Prierati, eſt etenim fœtus F. Franciſci Silveſtri de Ferraria Ordinis Prædicatorum qui ipſo anno quo liber ille editus fuit Romæ, electus fuit Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter, ut ait Echard Tomo II. ad annum MDXXIII. pag. 55. ubi de Silveſtro de Prierio agit, & deinde ad annum MDXXV. pag. 59. ubi agit de Franciſco Silveſtro. Cavendum itaque diligenti lectori a communi plurium errore, qui Silveſtrum Prieratem Sacri Palatii Magiſtrum cum Franciſco Silveſtro Ferrarienſi Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum imperite confundunt, communi utriuſque Silveſtri, prioris nomine, alterius cognomine deluſi, unique tribuunt, quæ duobus iiſdem

dem ſerme temporibus, ac religione claris diſtribuenda ſunt. Hunc primus impegit in ſcopolum Luſitanus Scriptor Dominicanus, ac deinde alii, quos notat Echard pag. 55. ad annum MDXXIII. ubi etiam legere eſt omnia, ac varia genuina Silveſtri Prieratis Opera, exploſis aliis eidem Silveſtro falſo ſuppoſitis.

CAP. XXXV.

De F. Thoma Badia, poſtea S. R. E. Cardinali.

I. Quiſnam Silveſtro Prierati anno MDXXIII. defuncto in Magiſterio Sacri Palatii ſucceſſerit, jam minime Scriptores conveniunt. Jacobillus in ſua Inſubriæ Bibliothea aſſerit quidem Nicolaum Columbo Patria Peruſinum a Clemente VII. in locum Silveſtri fuiſſe Sacri Palatii Magiſtrum inſtitutum, illudque onus conſtanti doctrina & prudentia quadriennium ſuſtinuiſſe. Quod unde, quibuſve ex documentis eruerit, cum non proferat Jacobillus, non immerito contemnendum. Sunt alii, qui Silveſtro F. Thomam Radinum Placentiæ Longobardorum ſuffectum volunt, ejuſque opinionis eſt Echard Tomo II. ad annum MDXXVII. pag. 74. probatque auctoritate Scriptorum Placentinorum, ac præſertim Uberti Locati, qui in Hiſtoria Placentina pag. 187. ſic de Radino ſcribit: *Thomas Rhadinus Thodiſcus violenta litterarum manu ad Sacri Palatii Magiſterium pervenit*; additque deinde locum Petri Mariæ Campi, qui in Hiſtoria Eccleſiæ Placentinæ Tomo II. pag. 327. inquit, fuiſſe Radinum Magiſtrum Sacri Palatii, & ſub Clemente VII. obiiſſe.

II. At vero teſte Fontana in Syllabo pag. 127. *Sacri Palatii Magiſter poſt Prierii exceſſum a Clemente VII. Papa creatus eſt P. F. Thomas Badia Mutinenſis eruditione, doctrina, vitæque integritate venerabilis, qui Bononiæ, Venetiis, & Ferrariæ Philoſophus, & Theologus præſtantiſſimus publica cum laude docuit. Mortuo Franciſco Silveſtro Magiſtro Ordinis, dum Generalia Comitia in Urbe ha-*

Digitized by Google

habeerentur pro alterius Magiſtri electione, interveniente Pauli III. Pontificis Maximi commendatione, a copioſo Vocalium numero Generalis Magiſter fuit ſalutatus; at majori Electorum parte in Auguſtinum Recuperatum, Generalem Vicarium, & Procuratorem concurrente, aſſumptus fuit hic ad ſupremum Religionis regimen, in ſuo Magiſterio Sacri Palatii permanente Badia. Et quidem fuiſſe Badiam Magiſtrum Sacri Palatii, & ex eo munere aſſumtum fuiſſe ad dignitatem Cardinalitiam a Paulo Papa III. anno MDXLII. teſtantur varii Auctores apud Ciaconium Tom. III. pag. 687. noviſſime vero diligentiſſimus, & accuratiſſimus Scriptor Antoninus Bremond Tomo IV. Bullarii Ordinis Prædicatorum in Appendice ad Conſtitutiones Pauli III. pag. 675. ubi ita ſcribit: *F. Thomas Badia Mutinenſis, ex Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici S. R. E. Cardinalis Tituli S. Silveſtri in Campo Martio:*

III. Fuit Badia inſignis Theologus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritiſſimus, unuſque ex novem ipſis graviſſimis, atque doctiſſimis Viris fuit, quos, uti poſt Panvinium in Paulo III. refert Spondanus ad annum MDXXXVII. Num. VIII. Paulus ipſe III. Pontifex Maximus *depravatis Clericorum moribus corrigendis delegit*, nempe Gaſparem Contarenum, Joannem Petrum Carafam, Jacobum Sadoletum, & Reginaldum Polum, Cardinales; Fridericum Fregoſium Salernitanum, & Hieronymum Alexandrum Brunduſinum Archiepiſcopos, Joannem Matthæum Gibertum Veronenſem Epiſcopum, Gregorium Certeſium Abbatem Sancti Georgii Venetiarum, *& Fratrem Thomam Badiam Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici. Qui, libello confecto, quo, reformationis præcipua capita ad rectam univerſæ Eccleſiæ diſciplinam, & œconomiam, ipſiuſquemet Pontificis, & Epiſcoporum officium pertinentia comprehenderunt, illum Pontifici obtulerunt anno ſubſequenti* MDXXXVIII. Videſis ea reformationis capita in quodam Libello deſcripta apud Natalem Alexandrum in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XVI. ubi agit de Paulo III. Pontifice. Sed nec minus rebus gerendis aptus fuit Badia, ideoque ad Collo-

P quium

Digitized by Google

quium Vormacienſe, quod anno MDXL. Carolus V. Imperator de revocandis, ſi fieri poſſet, Proteſtantibus indixerat, ab eodem Paulo III. cum aliis delegatis miſſus eſt, quo in Congreſſu, ſeu in confutandis Lutheranorum erroribus, ſeu in juribus Summi Pontificis aſtruendis, & tutandis egregie emicuit, ut teſtantur Auctores, qui de eo Colloquio ſcripſere. Multum præ ceteris debet Badiæ Societas Jeſu, cujus Inſtitutum a S. Ignatio Lojola Pontifici Paulo III. oblatum, Badia juſſu Pontificis recognovit, approbavitque, teſte Cardinali Pallavicino Societatis Jeſu Scriptore Lib. IV. Cap. XI. Num. IX

IV. Cardinalis, ut dictum eſt, a Paulo III. creatus Badia, & quidem ex Magiſtro Sacri Palatii, poſitus in ea dignitate nihil de prioris religioſi ſtatus uſibus minuit, totum ſe Eccleſiæ commodis addixit, quem propterea Pontifex, ut in promptu haberet, in ipſis Vaticanis ædibus commorari voluit, cum hoc favore, quem plerumque invidia ſequitur, tanta apud omnes exiſtimatione, ut majora effugere non poſſe vulgo putaretur, niſi morte præventus fuiſſet, quæ ei accidit anno Chriſti MDXLVII. ætatis ſuæ LXIV. nondum completo. Ante fores Templi Sanctæ Mariæ ad Minervam Sepulturam elegit, ubi hæc inſcriptio extat, quam referunt Ciaconius, Fontana, & noviſſime Bremond locis citatis. Sed legenda tamen, prout a me refertur, attente ſemel & iterum lecta, ſicut alia, quæ paulo poſt deſcribetur. Auctores ſiquidem, qui inſcriptionem ipſam recenſent, corrupte, ut alias notavi, deſcribunt; eſtque hoc commune Auctorum fere omnium vitium in recenſendis inſcriptionibus.

THOM. BADIA CARDI-
NALIS D. SYLVESTRI OR-
DIN. PRAEDIC. DECESSIT
E VITA ANN. MDXLVII
VIII. IDVS SEPTEMB.

Extat ibidem & hæc alia inſcriptio a memoratis Auctoribus relata, affixa curis Franciſci Germani ſui ad frontem Templi, exhibens ſtrictim multa ex iis quæ hactenus de eo dixi-

diximus, ſequentes dicta inſignium Scriptorum, dicturi iterum de eodem plura in noſtro Opere de Summis Pontificibus, & S. R. E. Cardinalibus ex Ordine Prædicatorum ad eam dignitatem aſſumtis, quod Deo dante una cum veris eorum Imaginibus edituri ſumus in publicam lucem.

D. O. M.
THOMAE BADIAE MVTINENSI ERVDITIONE CONTINENTIA
AC SANCTITATE CLARISSIMO
CARD. DIVI SYLVESTRI QUI ET
AMPLISSIMO ORDINI SENATORIO
ET CVNCTIS MORTALIBVS MIRAE
CVIVSDAM FRVGALITATIS RELIGIONIS ATQVE OMNIS VITAE INCREDIBILE EXEMPLVM RELIQVIT
ALIIS VERO QVIBVSCVNQVE HONORIBVS NON TAM VTI VOLVIT
QVAM DIGNVS VIDERI QVAE TAMEN SOLA MORTE EXISTIMATVS EST EFFVGERE POTVISSE
FRANCISCVS BADIA FRATRI
OPT. POS. VIX. ANN. LXIIJ.
MENS. IX. DIES XXVIJ.

Scripſit Badia varia Opera, quæ recenſet Echard Tomo II. ad annum MDXLVII. pag. 133. ex quibuſdam Auctoribus, ſubdens, neſcire ſe, an ea Opera ſint edita, vel manu exarata. Sed non omittendum hic quod ſcribit Bremond Tomo IV. Bullarii Dominicani in Appendice ad Conſtitutiones Pauli III. pag. 683. ubi recenſet Legatos Apoſtolicæ Sedis ex ſuo Prædicatorum Ordine aſſumtos ſub ipſo Paulo III. *F. Thomas Badia Mutinenſis S. R. E. Cardinalis, ut in hac Appendice dictum fuit, Legatus de Latere, ut S. Tridentino Concilio præſideret.* Citat tum locum Actorum Conſiſtorialium, in quibus ita legitur: *Die XVI. Octobris in Conſiſtorio apud S. Petrum Pontifex*, Paulus III. *creavit Legatos de Latere ad Concilium Cardinales Pariſium, Badiam, & Polum ad beneplacitum Sanctitatis ſuæ.*

P 2 CAP.

747
63
1684

Digitized by Google

C A P. XXXVI.

De F. Bartholomæo Spina.

I. Aſſumpto Thoma Badia anno MDXLII. ad Cardinalatum, Paulus III. mox Sacri Palatii Magiſtrum delegit F. Bartholomæum Spinam Piſanum, quem ob præclaras animi dotes Summus Pontifex plurimi faciebat, ejuſque conſiliis in arduis Fidei negotiis, quæ tum occurrebant, utebatur, uuumque ipſum eſſe voluit ex quinque Viris ſelectis, quos Romæ conſtituit, qui de quæſtionibus in Synodo Tridentina motis, de quibus Patres Apoſtolicam Sedem conſulebant, cenſuram ferrent, teſte Cardinali Pallavicino in Hiſtoria Concilii Tridentini Lib. VIII. Cap. I. Quatuor annis ſolum Sacri Palatii Magiſterium geſſit mira animi fortitudine, atque integritate, ſenioque jam gravis, ac meritis, piam exhalavit animam anno Chriſti MDXLVI. ætatis ſuæ LXX. circiter, vel LXXII. Varia edidit Opera, quæ recenſent Fontana in Syllabo pag. 131. & ſequenti, & Echard Tomo II. ad annum MDXLVI. pag. 126. Admonet vero laudatus Fontana, plura illius, ſicut & aliorum ſui Ordinis Scriptorum Opera, temporis injuria periiſſe, nec extare. Ut ut ſit, meminerunt cum laude Bartholomæi Spinæ varii Auctores, quos Echard memorat, ſed præſertim Clemens Papa VII. in Conſtitutione LXXV. quæ incipit: *Nuper certis*, edita die XI. Septembris anno Chriſti MDXXXI. quæ legitur Tomo IV. Bullarii Dominicani pag. 490. & ſequenti. In ea autem Conſtitutione dicitur Bartholomæus de Piſis Magiſtri Generalis Ordinis Vicarius, notatque ibidem Bremond, ab Ordinis Magiſtro Paulo Butigella Socium allectum fuiſſe Bartholomæum de Piſis ita nuncupatum ex Patria, Terræ Sanctæ Provincialem, ac Generalem tandem Vicarium fuiſſe conſtitutum.

II. Unum ſupereſt, ut ſcelus nempe, ac plagium Bartholomæo Spinæ a Theophylo Raynaudo impactum eluam. Nimirum ille in ſuo Libro, *De pietate Lugdunenſium in B. Mariæ Conceptionem*, Num. XIV. ſic habet: *Alphonſus Spi-*

Digitized by Google

Spina verus parens Libri, *cui Titulus*, Fortalitium Fidei, *quem Librum turpi abigeatu*, *expuncto Alphonſi nomine*, *ſibi ſuppoſuit Bartholomæus Spina &c.* itemque Libro, *De juſta & injuſta confixione Librorum*. §. *6*. ubi agit de ſuppoſitione per plagium, Num. CCLXXII. ita inquit: *Fortalitium Fidei Alphonſi Spinæ ex Judæo Chriſtiani Bartholomæus Spina ſuo nomine prænotatum emiſit*. Quis iſta legens, non putet, *Fortalitii Fidei* editionem aliquam ſub Bartholomæi Spinæ, de quo nos in præſenti Capite agimus, nomine prodiiſſe? Hunc enim a Raynaudo impeti, Lectores facile intelligunt. Verum talem editionem, uti obſervat Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDXXV. ubi de Guillelmo Totani inquit, pag. *62*. nullus hactenus nomenclator, nullus Bibliothecarum index meminit, & nullus Dominicanorum Bartholomæi Spinæ Operibus accenſuit; ideoque immerito Bartholomæum Spinam ſugillat Raynaudus, quem alias memoratus Echard merito refellit citato mox loco, & ad annum MDXLVI. pag. 128. fuit porro Raynaudus vehementer infenſus Fratribus Dominicanis, eumque ſolide confutavit doctiſſimus Vincentius Baronius, ut dicemus in Opere, *De Secretario Congregationis Indicis*.

CAP. XXXVII.

De F. Petro Martyre Brixienſi.

I. SUbſequuto Bartholomæi Spinæ obitu, Paulus Pontifex III. in ejus locum Magiſtrum Sacri Palatii nominavit eodem anno MDXLVI. quo ille obiit, F. Petrum Martyrem Brixienſem, Virum eruditiſſimum, in pluribus Cœnobiis Priorem, & qui in Bononienſi Studio Regentis officio functus fuerat, ut docet Fontana in Syllabo pag. 133. ubi etiam tradit, promovente Thoma Cardinali Badia, de quo diximus Capite XXXV. perveniſſe Petrum ad Magiſterium Sacri Palatii, eoque munere unico anno fuiſſe perfunctum, & relicto poſt ſe in Romana Curia doctiſſimi, & piiſſimi Viri nomine, quieviſſe in pace anno MDXLVII.

CAP.

1546
70.
1476

Digitized by Google

C A P. XXXVIII.

De F. Ægidio Fuſcarario, poſtea Epiſcopo Mutinenſi.

I. POſt obitum Petri Martyris de Brixia, qui Magiſtri Sacri Palati munere functus eſt ab anno MDXLVI. ad annum MDXLVII. ut docet Echard Tomo II. in indiculo Sacri Palatii Magiſtrorum pag. XXI. ad ipſum Magiſterium a Paulo III. evectus eſt Fr. Ægidius Fuſcararius ortu quidem nobilis Bononienſis, ſed integritate vitæ, doctrina, omniumque virtutum gloria longe clarior atque nobilior, natus die XVII. Januarii anno MDXII. ex illuſtri vetuſtaque Fuſcarariorum apud Bononienſes progenie. Vix adultam adeptus ætatem Ordini Prædicatorum in patria voto concepto nomen dedit in Conventu S. Dominici, ubi poſtquam diſciplinæ regularis vel ab ipſo tirocinio ſtudioſum ſe præſtitiſſet, humanis divinisque litteris ſerio incubuit, ac ſubinde in variis Provinciæ ſuæ locis atque Gymnaſiis legendi munus egregie implevit, & quod non minori morum ingenuitate, atque prudentia, quam eruditione clarus apud ſuos haberetur, ſæpius etiam variis Conventibus præfuit in Priorem electus. Fama autem illius ultra domeſticos fines erumpente, cum anno MDXLVI. F. Petri Martyris obitu Sacri Palatii Magiſterium vacare contigiſſet, ad illud munus a Paulo III. evectus Ægidius fuit ex Inquiſitore Prioreque Conventus ſui Bononienſis.

II. Multum profecto debet Ægidio Societas Jeſu, is enim juſſus a Paulo III. Pontifice, ut una cum F. Joanne Toletano Tituli S. Clementis Cardinale Presbytero ſui ejuſdem Dominicani Ordinis alumno, & Philippo Archinto Salutiarum Epiſcopo, & Urbis Vicario, ſpiritualium Exercitiorum S. Ignatii Librum examinaret, illum non modo commendavit, ſed effecit, quoque ut Summus Pontifex Librum ipſum ſua Pontificia auctoritate probaret, ut addiſcere licet ex laudati Pauli III. Diplomate dato Romæ die ultima Julii anni MDXLVIII. legiturque initio prædicti Libri Exercitiorum Conimbricæ editi anno MDLIII. ubi ſic

inter

inter alia Pontifex inquit: *Nos igitur, qui documenta, & Exercitia hujuſmodi examinari fecimus, & quæ teſtimonio, ac relatione dilecti filii noſtri Joannis Tituli S. Clementis Presbyteri Cardinalis, Burgenſis Epiſcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoris, & Venerabilis Fratris noſtri, Philippi Salutiarum Epiſcopi, ac dictæ Urbis noſtræ in ſpiritualibus Vicarii generalis, necnon dilecti filii Aegidii Foſcararii, noſtri Sacri Palatii Magiſtri, nobis deſuper facta, pietate, ac ſanctitate plena, & ad ædificationem, & ſpiritualem profectum fidelium valde utilia, & ſalubria eſſe, & fore comperimus .... documenta, & Exercitia prædicta, ac omnia, & ſingula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præſentium, ex certa ſcientia noſtra, approbamus, collaudamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus &c.*

III. Ea vero ſe in omnibus, ut narrat Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDLXIV. pag. 184. animi præſtantia, moderatione, atque prudentia ſe gerebat Ægidius, ut omnium in ſe Purpuratorum Sacri Collegii Patrum, Aulæque Romanæ Præſulum animos traheret, at in eis maxime Joannis Mariæ Cardinalis de Monte nuper Sacri Tridentini Concilii Præſidis, & Legati Apoſtolici, qui poſtmodum ad Petri Sedem evectus anno MDL. ineunte, VI. Idus Februarii Julius Papa III. dictus ſub ipſis Pontificatus ſui Primordiis, nempe die XV. Martii, ejuſdem anni Ægidium vel renitentem ad Mutinenſem promovit Eccleſiam, direxitque ad ipſum Tridentinum Concilium, ubi primæ ipſi Seſſioni Kalendis Maji anni MDLI. celebratæ, quæ ſcilicet Seſſio XI. fuit Concilii, adſuit, ac deinceps ſequentibus, Virum ſe præbuit inter Patres in primis conſpicuum, Religionis, Fideique zelo adverſus hæreticos publico commeatu ad illud invitatos, atque præſentes accenſum, Apoſtolicique plane pectoris. Sed & condendis ipſius Synodi Decretis ejus maxime opera, atque induſtria uſi ſunt Patres, uti videre eſt apud Scriptores, qui Tridentini Concilii Hiſtoriam ſcripſere, & in ejus Epitaphio, quod infra ad calcem hujus Vitæ referemus.

IV. Se-

IV. Sequenti autem anno MDLII. die XVIII. Aprilis Seſſione XVI. ſuſpenſo ob pervagatum in Germania belli rumorem Concilio, jam liber Ægidius mox ad ſuam reverſus eſt Mutinenſem Eccleſiam, quam mira in pauperes caritate, paſtoralique vigilantia, parique vitæ ſanctimonia rexit, gregi ſuo vigilans, nulliſque parcens laboribus, ut ſuam ipſam Eccleſiam priſtino ſuo nitori reſtitueret, oves ſuas paterno ſibi concilians affectu, nec verbo tantum aſſidue paſcens, ſed & exemplo. Nec enim alio uſus eſt Epiſcopus, quam antea veſtitu, & victu, nec amplo fulgebat famulitio, vel ornata diviteve ſupellectile. Idem illi quod Fratribus Ordinis ſui pannum, menſa parcior, & ſobria, nec alii, quam qui vel ad vitæ neceſſitatem requirerentur famuli. Denique ſic omnes optimi Paſtoris, ac vigilantiſſimi partes implevit, ea moderatione animi, vitæ ſimplicitate, & innocentia, ac tanta erga gregem caritate, atque tam effuſa in miſeros, & pauperes liberalitate, ut communis omnium parens haberetur, & amaretur ab omnibus. Adeo a cumulandis opibus alienus, ut etiam ſibi vitæ, dignitatique neceſſaria ſubtraxerit, Anulumque ipſum paſtoralem, & Pedum in egenos, pauperesque, cum jam annuos Eccleſiæ ſuæ reditus in iis effudiſſet, vænum expoſuerit.

V. Eximiam Ægidii liberalitatem in egenos ſuæ Diœceſis effuſam Bracharenſis ille Sanctiſſimus Archiepiſcopus ejuſdem & ipſe Prædicatorum Ordinis F. Bartholomæus de Martyribus quantumvis in pauperes effuſus, non modo litteris ſuis commendavit, ſed ceu miraculoſam admirabatur, ſeque præ illo prope tenacitatis, & avaritiæ accuſabat; cujus hic libet ipſa verba referre ex Epiſtola ſua ad Oeconomum ſuum F. Joannem de Leira die III. Novembris anni MDLXI. data, Luſitano idiomate ſcripta, quam ita latine memoratus Echard reddidit: *Fac ne tibi commendatis ullo modo deſis pauperibus, hos paſcas, nudos operi, ne frigore pereant. Hic dilatatum eſt cor meum fateor ad Sancti Præſulis Mutinenſis Ordinis noſtri liberalitatem. Vix illi ſunt annui reditus ducatorum mille, pluſque ille lar-*

largitur, & effundit, quam ego, in Eccleſiæ pauperes, ut nec unde ſibi provideat ipſe ſatis intelligam, niſi miraculo tribuam, quo ſolet hujuſmodi ſubvenire Deus miſericordiæ hominibus. Nec vero ſua contentus dare pauperibus Ægidius, ſed ut & eiſdem alii ditiores ſubvenirent, urgebat, inſtanterque provocabat. Maxima inſuper cum polleret puritate, nec indecorum obſcenumque quid unquam in converſatione fieri, dicive coram ſe ſuſtinuit, nec publica profligare proſtibula ceſſavit, puelliſque a meretricio revocatis ampliſſimum inſtituit dotavitque hoſpitium, atque refugium.

VI. At vero licet bonorum omnium ſibi animos conciliarit Ægidius, impiorum tamen invidiam, & inſidias minime evaſit. Julio namque III. Pontifice ſublato e vivis exeunte Martio anni MDLV. Marcelloque II. qui ei ſucceſſit, vix menſis unius Pontifice extincto, ad Petri Sedem evectus Paulus IV. effœtæ jam ætatis, aſperioribuſque paulo moribus, & ſenili moroſitate ſuſpicionibus obnoxius, occulto aſtu æmulorum deluſus & circumventus, Fidei poſtulatos apud ſe Joannem Cardinalem Moronum inculpatæ vitæ pectoriſque magnanimi Virum, ætate meritiſque gravem, ac eximiis ornatum virtutibus, & Ægidium, de quo loquimur, Mutinenſem Epiſcopum zelo præcipiti comprehendi, & in Hadriani Molem die XXI. Januarii anno Chriſti MDLVIII. detrudi juſſit. In utrumque mox cum eſſet diligentius inquiſitum, nec quid in eis non animadverſione modo, ſed nec leviſſima ſuſpicione dignum, eſſet deprehenſum, aut revelatum, fruſtraque delatoribus quæſitis, nec detectis, vel comparere auſis, facti cœpit Paulus pœnitere ſui, liberamque fecit utrique detentionis ſuæ facultatem, quam illi reſpuerunt, niſi ſolemni judicio teſtata foret utriuſque innocentia, Fideique integritas, & accuſantium manifeſtata ſimul, & damnata iniquitas. Dimiſſus tamen eſt ab Hadriani Mole liber Ægidius die XVIII. Auguſti anni MDLVIII. ſeptimo prope expleto detentionis ſuæ menſe, ſub cautela, ut ajunt, ſecuritatis, ſive ſiſtendi iterum, ubi viſum fuerit, obligatione, ne ſcilicet Pau-

Q loIV.

Digitized by Google

lo IV. Pontifici, ejuſque Conſiliariis, atque Miniſtris probro eſſet, Moroni, & Ægidii præceps, & iniqua detentio.

VII. Vix anno integro ab Ægidii libertate elapſo, obiit Paulus, cui ſuffectus Patrum ſuffragiis, quos inter & Moronus ipſe Cardinalis erat, Joannes Angelus de Medicis Pius IV. abinde dictus, die xxvi. menſis Decembris anni mdlix. jam non ſuſtinuit, in dubio verſari diutius Ægidii famam, & innocentiam, & Inquiſitori Romano Generali F. Michaeli Ghiſlerio, qui fuit poſtea Pius Papa V. mandavit, ut ultimum tandem huic cauſæ finem imponeret. Quod & hic præſtitit, data Kalendis Januarii anni mdlx. Romæ in Apoſtolico Palatio deciſiva ſolemnique ſententia, quam integram legere eſt Italica lingua exaratam apud Michaelem Pio, Parte II. Libri iv. col. 206. qua non tantum Ægidii comprobata eſt Fidei, vitæque integritas, & innocentia, ſiſtendi vinculum, ſive ſecuritatis extinctum omnino, ac ſolutum, ſed accuſatorum, & accuſationum damnata, & declarata calumnia, falſitas, impoſtura, priſtinæque nihil acceſſiſſe famæ juribus, & honori detrimenti ex ipſius vinculis, & detentione, adeoque Mutinenſes populos ea debere illum ſuſcipere, audire, & venerari reverentia, ac ſi nunquam incarceratus fuiſſet, & accuſatus &c. Hac accepta ſententia, Mutinam Ægidius, ac Sponſam ſuam repetiit, a qua vix dici poteſt, quanta fuerit acclamatione, populique lætitia ſuſceptus, præſertim a pauperibus, quorum habebatur, eratque re vera Pater, quibus etiam ſublevandis Montem Pietatis erexit.

VIII. Dum autem ardentius Eccleſiæ ſuæ regimini, paſcendoque gregi denuo inſtaret Ægidius, iterum ab eodem invitus abeſſe cogitur, & Tridentum repetere, adeſſeque generali Concilio, quod eodem anno mdlx. exeunte, quacumque remota ſuſpenſione, ad Paſcha proximum memoratus Pius IV. Pontifex reſumendum indixerat. Quare rebus Eccleſiæ ſuæ optime compoſitis, jubente eodem Pio IV. perrexit ad Concilium levi comitatu, unicoque ad ſarcinas ferendas uſus jumento, Tridentumque pervenit die xv. Aprilis anni mdlxi. quo Paſcha in diem vi. ejuſdem men-

Digitized by Google

menſis inciderat. In idem ejus hoſpitium die IX. Maji ſubſequentis cum eo commoraturus declinavit laudatus ſuperius Archiepiſcopus Bracharenſis F. Bartholomæus de Martyribus, non Ordinis tantum, aut dignitatis affinitate, ſed morum præſertim, ac paſtoralis ſollicitudinis ſimilitudine ei devinctiſsimus. Quam autem ſibi in prioribus ſub Julio Papa III. Seſsionibus peperat Ægidius eruditionis laudem, in his poſterioribus ſub Pio IV. egregie tutatus eſt, ut & Acta ipſa Concilii teſtantur. Commiſſa namque illi in prima Congregatione die XV. Januarii anni MDLII. a Patribus auctoritas, & cura prius diſcutiendi probandique quæcumque coram eſſent publice pronuncianda, vel recitanda in Concilio; tantaque in rerum difficultatumque propoſitarum expoſitione, vel ſolutione, ſententiæ ejus apud omnes habebatur ratio, ut eidem unanimes adhærerent. Seſſionum etiam ejuſdem Sacri Concilii ordinandarum, dirigendorumque cura Canonum ipſi demandata fuit, quod egregie præſtitit, & quo nunc habemus editaque prodierunt ordine redegit.

IX. Tandem cum omnibus ſub Pio IV. Concilii Seſſionibus interfuiſſet, atque ſubſcripſiſſet, ſoluta jam anno MDLIII. Sacra Synodo Tridentina, cum ad ſuam redire ſe pararet Eccleſiam, Romam a Pio IV. accitus eſt, juſſuſque cum uno & altero ejuſdem Prædicatorum Ordinis, quique eidem interfuerant Concilio, Viris eruditione, pietateque ſpectatiſsimis, F. Leonardo de Marinis Archiepiſcopo Lancianenſi, & Fr. Franciſco Forerio Luſitano, Concilii conficiendo dirigendoque Catechiſmo, Romanoque Miſſali, & Breviario recenſendis, ac purgandis incumbere. Cui dum deſudaret ardentius operi, Romæ piiſsima morte ſublatus eſt e vivis, ætatis ſuæ anno LVIII. nondum exacto, die XXIII. Decembris anni MDLXIV. ſepultuſque fuit apud ſuos Dominicanos in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam ante Aram maximam, magno omnium, ac præſertim ovium ſuarum luctu, & deſiderio; cujus tumulo poſitum hoc Cœnotaphium fuit, quod refertur a Fontana in Syllabo pag. 135. & Echard loco citato, ſed legendum tamen

Digitized by Google

men, ut nos ipſum deſcripſimus; variant enim in eo referendo Auctores. Eſt ergo hujuſmodi.

D. O. M.

SI
F. EGIDIO FVSCARARIO BON.
SI
ORD. PRED. EPO MVTINEN.
NE IA TE
REL. INNOC. LIBERA PRÆSTATI
IA
PRVD. AC SCIA DIVINAR. RER. TATA
CO NO
VT IN PVB. TRID. CONCILIO
SI S O
PRES VNI. IN H. IVDI COQESCERET
I MO O
Q. CATHECH. MISSALI . BREVIA
VS E VNT TIO
IN QB. MAX. OIVM ELAB. COMPO
ROMÆ OBDORMIVIT IN DNO
AN. D. M. D. LXIIII.
DIE XXIII. DECEMB.
VIXIT ANN. LVIII.

Porro non omittendum hic illud, poſt ipſam nempe inſcriptionem ſub ſtemmate ita legi

S TO O
F. FERDINAND. DE S. AMB.
MEMORIÆ TANTI VIRI
MVS
OBSER. FECIT
XV. OCTOBRIS . M. D. LXVII.

X. Extant hodieque memoratæ inſcriptiones in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam poſt arcum majorem amplæ navis ipſius Eccleſiæ a parte Evangelii, uti patet cuique eaſdem legere cupienti. Cæterum teſte eruditiſſimo Jacobo Echard, citato Tomo II. Scriptorum ſui Ordinis Prædicatorum aliud Cœnotaphium eidem Ægidio Fuſcarario apponendum curavit pientiſſimus germanus illius Frater, in

Digitized by Google

in Avito Fuſcarariæ gentis Bononiæ ad S. Petronii Templum Sepulchro, eſtque hujuſmodi.

D. O. M.

F. ÆGIDIO FVSCHERARIO. MAGISTRO SACRI PALATII. EPISCOPO MVTINENSI. VIRO ERVDITIONE. INTEGRITATE ET MODERATIONE ANIMI. QVAS NON SOLVM IN ECCLESIA ADMINISTRANDA. SED TRIDENTINO ETIAM CONCILIO PRÆSTITIT. LONGE OMNIVM ORNATISSIMO. OBIIT ROMÆ ANNO MDLXIV. CVM ESSET AD OPERAM CATECHISMO CONFICIENDO NAVANDAM VOCATVS. VIXIT ANNOS LII. MENSES X. DIES XXVI. CAMILLVS FVSCHERARIVS F. FRATRI OPTIMO POSVIT. Legendum, *vixit annos LVIII.*

XI. Romano Catechiſmo conficiendo operam quidem ſuam præſtitit Ægidius, ſed una tamen, ut ſuperius dictum eſt, cum aliis duobus ſui Ordinis Prædicatorum eximiis Viris F. Leonardo de Marinis Genuenſi, Archiepiſcopo Lancianenſi, & F. Franciſco Forerio Ulyſſiponenſi Regis Luſitaniæ in Concilio Tridentino Theologo. Qui omnes quantæ peritiæ, quantique nominis extiterint tum in ipſa Synodo, tum extra illam, in exercitandis muneribus Eccleſiaſticis plurimis, Scriptores paſſim docent, ac præſertim ii, qui Concilii Tridentini Hiſtoriam ſcripſere. De Catechiſmi auctoritate contra nonnullos, qui eam deprimebant, ac veluti privatorum hominum opus arbitrarium, qualis & Petri Caniſii, vel Cardinalis Bellarmini, vel aliorum Catechiſmus, nec majori Eccleſiæ ſcilicet, Conciliique, atque Summi Pontificis auctoritate pollere contendebant, ſpeciali Diſſertatione egit, ac vindicavit Vir eruditus Antoninus Reginaldus Albienſis, quæ ipſius Catechiſmi editioni Toloſæ apud Colomerium anno MDCXLVIII. præfixa prodiit. Vide Catechiſmum Coloniæ editum anno MDCLXXXIX. in apparatu ad eundem, Articulo III. ubi egregie oſtendit, fuiſſe ipſum Catechiſmum a S. Pio V. & Gregorio XIII. atque a Conciliis paſſim tum Provincialibus, tum Diœceſanis approbatum, ac ſummopere commendatum. Quamobrem videri mirum non debet, ſi Theologi Catechiſmi auctoritate paſſim utantur.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XXXIX.

De F. Hieronymo Muzzarello, poſtea Compſano Archiepiſcopo.

I. AD Mutinenſem Eccleſiam Ægidio Fuſcarario evecto, Sacri Palatii Magiſtrum Julius Papa III. eodem anno MDL. Fratrem Hieronymum Muzzarellum Bononienſem, nobili loco natum, trium ſacrarum linguarum peritiſſimum, Theologum primi nominis, pluribus Scholarum, Cœnobiorumque regiminis muniis egregie functum, creavit, annoque MDLIII. die XI. Decembris ad Sedem Compſanam evexit, ac paulo poſt ad Carolum V. Imperatorem pro graviſſimis negotiis Nuntium Apoſtolicum miſit, uti poſt alios docet Bremond Tomo v. Bullarii Dominicani, in Appendice ad Conſtitutiones Julii III. pagina 35. & 39. A Legatione reverſus, dum ad ſuam Eccleſiam properaret, Salerni in noſtro Regno Neapolitano diem ſuum clauſit extremum anno MDLXI. ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Mariæ de Porta. Tanti Viri cum laude meminere qui ſcripſerunt de Epiſcopis ex Ordine Prædicatorum aſſumtis, itemque Ughellus, ut alios omittam, in ſua Italia Sacra. Addit in ſuo Theatro eruditus F. Vincentius Fontana, Parte I. Cap. IV. Tit. XXX. quod, ne memorati Viri facta illuſtria ex hominum memoria, temporum injuria, laberentur, Gaſpar pronepos Bononiæ in celeberrimo S. Dominici Templo Fratrum Ordinis Prædicatorum honorarium Epitaphium nigro lapide inciſum eidem poſuit, legiturque apud eundem Fontanam in ſuo Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii pag. 137. & apud laudatum Bremond citata pagina 35. Cæterum cum Scriptores in eo referendo Epitaphio nonnihil varient, curavimus nos, ut Bononienſes Fratres Dominicani Epitaphium ipſum fideliter deſcriptum ad nos tranſmitterent, ut vel hinc Lector intelligat, quanta a nobis adhibita fuerit diligentia, ut Inſcriptiones abſque errore deſcriberentur. Epitaphium itaque Muzzarello Bononiæ poſitum eſt hujus tenoris.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

F. Hyeronymo . Muzzarello . Nob: Bon: ex . Ord: Prædic.
Viro . Doctiſſ: & linguarum . Hebr: ac . Græc: perit:
Inquiſitori . et . Priori . Bononiæ .
Tridentinæ . Synodi . Seſſionib! Bon: inchoatæ . Spect.
Qui Sacri.Palatii.Magiſter.Neapol:Reg:Vn!ex IV:Inquiſit:
Ac . tandem . a.Iulio.III.Pont:Max:Cōpſ:Archiep.creatus.
Ad . Carolū . V. Imperatorem . Nuncius . Apoſt: Legatus.
Omnia . hæc . munera . omnibus . abſolvit . numeris .
Iam . tanti . Proavi . nequaquam . immemor . Pronepos .
Gaſpar . Muzzarellus . hoc . Monumentū . poſuit .
Anno Dñi M D CX X V I I I.

Hactenus Inſcriptio Muzzarello Bononiæ poſita in Cœnobio Ordinis Prædicatorum , cujus ipſe fuerat Alumnus , ex eaque addiſcimus , quam eximia fuerit illius virtus .

C A P. X L.

De F. Petro Paulo Giannerino .

I. IN locum Hieronymi Muzzarelli ad Archiepiſcopatum Compſanum aſſumti a Julio III. allectus fuit Magiſter Sacri Palatii , & quidem anno MDLIII. menſe Decembri F. Petrus Paulus Giannerinus Aretii natus , qui in Cœnobio S. Mariæ ad Saxum ad Bibienam Oppidum ejuſdem Aretinæ Diœceſis Prædicatorum Ordini nomen dederat , ac Vir evaſerat eruditione , pietate , ac infracto pro veritate animo commendatiſſimus . Teſte Fontana in ſuo Syllabo pag. 138. & ſequenti, plurium Conventuum in Romana Provincia Moderator fuit , & cum in Sacra Theologia verſatiſſimus eſſet , in generali ſtudio ejuſdem Provinciæ Peruſiæ Auguſtæ Regens pluribus annis cum ſua non vulgari laude docuit . Prior Provincialis poſtmodum a Patribus electus in eo regimine ad Regularis obſervantiæ ſtudiorumque promotionem totus incumbens maximum Ordini attulit decoris ornamentum . Inter Theologos , qui Synodo Tridentinæ adfuerunt , claruiſſe Giannarinum , aſſerit

ſerit Razzius, quod tamen ad annos MDLI. & LII. ſub Julio Papa III. referendum monet Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDLVIII. pag. 167. Emendandus enim eſt Fontana, qui loco citato inquit, Tridentinæ Synodi Theologum fuiſſe Giannerinum *ſub Pio IV.* & obiiſſe *anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto*. Nam teſte Razzio, *obiit Giannerinus Magiſter Sacri Palatii ſub Paulo IV.* hic autem anno MDLIX. menſe Auguſto mortuus eſt. Vita functum fuiſſe Giannerinum anno MDLVIII. recte aſſerit laudatus Jacobus Echard citans Paulinum Bernardinum, qui tractatum ſcripſit de controverſia excitata tempore Pauli IV. adverſus opera F. Hieronymi Savanarolæ, ut veluti hæretica proſcriberentur.

II. Porro electus, ut dictum eſt, a Julio III. Pontifice Giannerinus Magiſter Sacri Palatii, cum anno MDLVIII. delatis ad Romanæ Inquiſitionis Tribunal Hieronymi Savanarolæ Operibus, allatrantibus in eum veluti in lupum omnium fere Ordinum Familiis, Franciſcanis, Carmelitis. Auguſtinianis, & Jeſuitis, Paulo ipſo IV. vehementius in Savanarolam ipſum accenſo, iſtius ille doctrinam aperte propugnare auſus eſt coram Cardinalium Congregatione de eo negotio a memorato Pontifice inſtituta. Cum vero a quodam Cardinali moneretur, ſui Officii eſse, Apoſtolicam Sedem defendere, nec eum decere, tueri hominem, qui, uti ferebatur, Summo Pontifici tantum adverſatus eſſet, hanc reſponſionem dedit notatu dignam: *Mei*, inquit, *officii eſt, pro veritate certare, ſic enim hujus Sanctæ Sedis gloriam tueor. At ſempiternum mihi foret dedecus, ſi in hoc Throno, ad quem veritatis dicendæ cauſa ex toto Orbe recurrunt Chriſtiani, eam ibidem ſinerem opprimi, & quemquam ob eam dictam anathemate percelli*. Quod ſapientiſſimum Giannerini reſponſum laudarunt omnes. Non diu poſtea vixit Vir ſtrenuus, & animi interriti, ſed ante negotium finitum ipſo anno MDLVIII. obiit in aliquali Pauli IV. Pontificis offenſione, ſed ſummo totius Aulæ Romanæ luctu, ac generali apud omnes fama ſanctitatis. Sic refert Paulinus Bernardini in tractatu, quem de hoc negotio

tio ſcripſit, qui ms. uti docet Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDLXXXV. pag. 274. ubi agit de Operibus Paulini Bernardini, extat Pariſiis in Bibliotheca Regia a Tricheto du Freſne ex Italia olim advectus, & prodiit a R. P. Jacobo Quetif editus typis Ludovici Billaine anno MDCLXXIV. in 12. in Additionibus ad vitam ejuſdem Savanarolæ a Joanne Franciſco Pico Mirandulæ Concordiæque Principe ſcriptam Tomo II. pag. 561. hoc Titulo: *Diſcorſo ſopra la dottrina e l'Opere del R.P. Fra Girolamo Savanarola da Ferrara dell'Ordine de' Predicatori, fatto in Roma ſotto il Pontificato di Papa Paolo IV. alla preſenza dell' illuſtr. e rever. Cardinali della Santa Inquiſitione dal R. P. M. F. Paolino Bernardini da Lucca del medeſimo Ordine* MDLVIII. Libellus omnino dignus, qui attente legatur a pagina 561. ad 615.

CAP. XLI.

De F. Daniele de Crema.

I. E Mortalium oculis ſublato Giannerino, inquit Fontana in ſuo Syllabo pag. 139. *P. F. Daniel de Crema ex Lombardiæ Provincia Sacri Palatii Magiſter declaratus fuit a Pio IV. Pontifice Maximo anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto poſt peracta cum laude Prioris atque Inquiſitoris munia*. Sed certum eſt, labi Fontanam, qui Giannerinum non niſi anno MDLXIV. mortuum putavit, eoque anno in ejus locum Danielem ſuffectum ſcripſit. Referenda enim omnino ad annum MDLVIII. Giannerini mors, & Danielis promotio in Magiſtrum Sacri Palatii, ut ſcite animadvertit doctiſſimus Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MDLXV. probatque auctoritate Alemanii Fini, qui in Libro Venetiis edito anno Chriſti MDLXXXI. cui Titulus, *Huomini di pregio di Crema*, de Daniele ſic habet: *Daniel Bianchi Maeſtro del Sacro Palazzo ſotto Paolo IV.* qui Pontifex cum mortuus ſit die XII. Maji anno MDLIX. Danielem antea ad eam dignitatem evexerat. Sed præ cæteris inſigne eſt de hac re teſtimonium

R ip-

ipſius Danielis, qui die xx. Junii anno MDLIX. una cum Locumtenente Vicarii Urbis Bonſignorio Cacciaguerræ noſtri Hieronymiani Oratorii Presbytero facultatem dedit edendi Tractatum, *De tribulationibus*, legiturque ea facultas, una cum utriuſque ſubſcriptione in eodem Libro, qui Romæ editus fuit prædicto anno MDLIX. exarata, eſtque hujuſmodi: *Conceditur almæ Urbis typographis facultas imprimendi Libellum de tribulationibus ferendis, pio admodum, & Chriſtiano ſpiritu editum a Reverendo Domino Bonſignore Cacciaguerra, Viro inſigni, animarum zelo, & charitate prædito. Datum Romæ die xx. Junii M. D. LIX. Simon Albanus Locumtenens in Officio Vicariatus. F. Daniel Sacri Palatii Magiſter.* Cæterum ut notat laudatus Echard, Daniel ipſe de Crema, qui, uti dictum eſt, creatus fuit Magiſter Sacri Palatii anno MDLVIII. a Paulo Papa IV. *obiit ſub Pio IV. anno* MDLXV. ejuſque meminit Rovetta ad annum MDLXIV. teſtatus, in Bibliotheca Conventus Cremenſis ſervari ms. ab eo concinnatum *Opus grande adverſus errores Lutheri*. Quamobrem errat in Syllabo ſuo Fontana, pag. 140. ubi ait, Danielem de Crema creatum Magiſtrum Sacri Palatii anno MDLXIV. brevi tempore huic nobili Magiſterio præfuiſſe, ſequenti anno e vivis ereptum.

II. Unum eſt, quod in calce hujus Capitis notem, non mirum ſcilicet videri debere, ſi memoratus Daniel Sacri Palatii Magiſter recitato præclariſſimo elogio noſtri Bonſignorii Cacciaguerræ Librum de tribulationibus ferendis comprobavit. Magni enim & Librum ipſum fecit, & quammaxime commendavit S. Franciſcus Saleſius, quippe qui ad Abbatiſſam ſcribens, cui affecta tibia ſecari a medico propediem debebat, eidem præcepit, ut ante ſectionem legeret ipſa, vel ſibi, dum lecto decumberet, ab aliqua religioſarum Monialium legi faceret memoratum Librum, quod ex ea ſcilicet lectione multum eſſet levaminis perceptura, teſtatuſque eſt inſuper idem ſanctiſſimus Præſul, ſe in graviſſima infirmitate, qua conflictatus in Italia fuerat, nullo alio quam ipſo Cacciaguerræ Libro commotum fuiſſe ad morbum patientiſſime tolerandum. Fuit Cacciaguerra noſtri

ſtri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, primuſque, teſte Martinello in ſua Roma, fuit, qui in S. Hieronymi Domo initium Oratorii Inſtituto dederit. Adhuc viventem ſummopore laudatum fuiſſe Cacciaguerram in publica marmorea inſcriptione poſita in Eccleſia S. Cæciliæ ad Montem Jordanum, ubi ſepulta fuit Felix de Barbarano Virgo eximiæ pietatis, teſtis eſt Floridus Canonicus de Silveſtris in ſuo Libello inſcripto, *Corona di dodeci Vergini*, ubi ipſam inſcriptionem refert, quæ eſt hujuſmodi: *Felicis de Barbarano Ancillæ Chriſti, quam puriſſimam Virginem alumnam ad omnem ſanctitatem educavit homo Dei Benſenior Cacciaguerra Senen. Congregationis S. Hieronymi in Aedibus Charitatis hic depoſitum redivivum in pace expectat cenſorium diem. Obiit xii. Kal. Maji* MDLIII. Extat hodieque in noſtra Eccleſia marmorea antiqua inſcriptio in laudem ejuſdem Cacciaguerræ, in qua elogio donatur Sacerdotis *miræ ſanctitatis*. Sed hoc obiter dictum ſit, nam de ipſo Cacciaguerra fuſius dicemus in Opere noſtro, *De Viris illuſtribus Oratorii S. Hieronymi Charitatis*.

C A P. XLII.

De P. Thoma Manriquez.

I. Defuncto Daniele, in ejus locum Sacri Palatii Magiſter a Pio IV. anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto delectus fuit P. F. Thomas Manriquez Hiſpanus nobili clariſſimoque Manriciorum apud Iberos ortus ſtemmate, de quo Lopez de Haro Lib. IV. *Nobilitat. Hiſpaniarum*, Cap. XVII. patre natus eſt Petro de Luna Fontis Dominæ, vernacule *de fuente dueña* Domino, ejuſque conjuge Alphonſa Manriquez Comitis Oſonienſis filia, de qua loquitur citatus Lopez. Thomas itaque a puero domi liberaliter educatus, Prædicatorum Ordinem adoleſcens amplexus eſt in Conventu de Petra fixa, vulgo *Pedrahita*, ſicque pietate, doctrina, facundia claruit apud ſuos, ut omnes regiminis Scholarum, & Cœnobiorum meruerit ho-

Digitized by Google

nores. Hinc cum Stephanus Uſuſmaris ex Procuratore Generali Magiſter Ordinis electus Romæ eſſet anno MDLIII. in iiſdem Comitiis Thomam etſi abſentem, & in Hiſpania agentem, ſuum ſibi ſuffecit ſucceſſorem, & Procuratorem Generalem declaravit, quo & ad annum MDLXI. functus eſt officio. Eam autem a præclaris dotibus ſibi peperit in Urbe famam, ut e vivis erepto Sacri Palatii Magiſtro Daniele de Crema anno MDLXV. eum mox ad idem munus Pius IV. Pontifex aſſumpſerit.

II. Nec minori exiſtimatione, & gratia apud Pium V. valuit Thomas, quippe qui, eo mandante, Angelici Doctoris Opera omnia a mendis expurgavit, ut ſine labe in lucem Romæ prodirent. Quin cum Præbendam Theologalem Pius in Baſilica Vaticana inſtituiſſet anno MDLXX. velletque ab ejus Tituli poſſeſſore S. Thomæ Aquinatis doctrinam doceri, Thomam Manrique ei mire addictum, in eaque verſatiſſimum hoc Beneficio donavit, quod & ſuis in Sacri Palatii Magiſterio ſucceſſoribus, Bulla ſpeciali de ea re edita, quæ incipit, *In eminenti*, data IV. Kal. Auguſti anno Domini MDLXX. legiturque in Bullario Dominicano Tomo V. pag. 245. voluit eſſe addictum. Sane, quandiu vixit, ea Præbenda potitus eſt Manrique, ſed, uti notavit eruditus Echard Tomo II. Scriptorum anno MDLXX. pag. 230. *ægre ferentibus Canonicis Vaticanis, Virum Regularem ſuo Collegio accenſum, id totum a Gregorio XIII. reſciſſum fuit*; idque nos jam fuſe explicuimus ſupra Lib. I. Cap. XI. Ille tandem multis pro Eccleſia Romana exantlatis laboribus, quos inter, Proregem Neapolitanum a Romanæ Urbis invadendæ conſilio, regnante tum Paulo IV. numerant, ſua auctoritate revocatum, & deterritum, diem obiit Romæ anno MDLXXIII.

C A P. XLIII.

De F. Paulo Conſtabili, poſtea Generali Ordinis Magiſtro.

I. SUcceſſorem habuit Manrique, ut inquit Fontana, in Syllabo pag. 142. P.F. Paulum Conſtabilem Ferra-

Digitized by Google

rarienſem de Provincia Lombardiæ in Sacri Palatii Magiſterio anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio a Gregorio XIII. promotum. Fuit Paulus natalium claritate atque doctrina illuſtris. In Ferrarienſi Conventu Angelorum, Prædicatorum Ordini nomen dedit, atque in Studio Bononienſi Sacris Litteris addictus, ibidem Magiſtri Studentium onus ſuſtinuit, Theologiamque in variis ſuæ Provinciæ Cœnobiis docuit. Mox Prior in ſuo Conventu Ferrarienſi, atque in Neapolitano S. Catharinæ de Formello, ac deinde in Patria Fidei Quæſitor ita ſe præbuit Fidei Catholicæ zelatorem, ut deſtituta ſacra Mediolanenſi Inquiſitione ſuo Præfecto, ibidem Generalis Inquiſitor a Gregorio XIII. & mox etiam ab eodem Magiſter Sacri Palatii ad preces Cardinalis Alexandrini renunciatus fuerit.

II. Cum autem ejus vitæ integerrimæ fama non modo in Urbe, verum etiam apud ſuos Fratres Dominicanos toto Orbe reſonaret, in generalibus Comitiis Romæ anno Chriſti MDLXXX. congregatis, in prædefuncti Seraphini Caballi Magiſtri Ordinis locum ſummo Electorum conſenſu aſſumtus fuit; eique mox privilegia quædam conceſſit laudatus Gregorius Pontifex XIII. uti liquet ex ejus Bulla, quæ incipit, *Cum ſicut*, data XV. Junii MDLXXX. legiturque in Dominicano Bullario Tomo V. pag. 400. & ſeqq. Ad regimen Ordinis aſſumtus, eundem viſitaturus, ab Urbe pedeſter diſceſſit, quem etiam per Regularis obſervantiæ ſemitam verbo & exemplo direxit. Sed breve illius regimen fuit, ſecundo enim ſui regiminis anno, Chriſti vero MDLXXXII. die XVII. Septembris Venetiis in S. Dominici Cœnobio diem ſuum extremum obiit.

C A P. XLIV.

De F. Sixto Fabri, poſtea Generali Magiſtro Ordinis.

I. PAulo Conſtabili e Sacri Palatii Magiſtro ad Ordinis regimen & Magiſtratum aſſumto, Gregorius Pontifex XIII. mox eodem anno MDLXXX. F. Sixtum Fabri ad Sa-

Digitized by Google

Sacri Palatii Magiſterium tunc vacuum evexit, quo in munere maximam exhibuit animi modeſtiam, eruditionem, atque prudentiam. Fuit Sixtus natione Lucenſis, induitque religioſum habitum Neapoli in Conventu S. Catharinæ de Formello anno MDLVI. miſſuſque Bononiam Studiorum cauſa, in iis multum profecit. A Seraphino Caballo Magiſtro Generali in Socium, & Provincialem Terræ Sanctæ aſcitus, multo eidem in regimine Ordinis adjumento fuit. Mox etiam Procurator Generalis Ordinis inſtitutus anno citato MDLXXVI. ut notat eruditiſſimus Bremond Tomo v. Bullarii in Conſtitutionem XCIV. Gregorii XIII. pag. 359. E vivis erepto Caballo anno MDLXXVIII. die XXI. Novembris, Vicarius Generalis Ordinis conſtitutus fuit a Gregorio XIII. dato ad eum Diplomate, quod incipit, *Cum nuper*, anno MDLXXIX. die XVI. Januarii, legiturque in citato Bullario, eodem Tomo v. pag. 357. Coactis Romæ Comitiis anno MDLXXX. pro eligendo novo Ordinis Generali Magiſtro præſuit Faber, in iiſque jam communibus omnium votis Magiſter acclamabatur, niſi Gregorii XIII. obſtitiſſet auctoritas, arctata ad alios quatuor egregios quidem optimeque meritos a Pontifice delectos nominatoſque Viros electione, electuſque tunc fuit ex Magiſtro Sacri Palatii Paulus Conſtabilis, in cujus locum, uti dictum eſt, ab eodem Gregorio XIII. Sixtus Fabri fuit ſuffectus.

II. Sublato vero paulo poſt Venetiis die XVII. Septembris anni MDLXXXII. e vivis Conſtabili, ſequentibus Ordinis Comitiis Romæ coactis, electoribuſque tum ſuæ libertati a Pontifice relictis, Sabbato Vigilia Pentecoſtes XXVIII. Maii MDLXXXIII. ad Magiſterium Ordinis vocatus eſt licet abſens a Capitulo Sixtus, concordibuſque omnium ſuffragiis electus eſt, atque peramanter ab ipſo Papa Gregorio XIII. feſtiveque exceptus, & acclamatus, ſic eidem ajente, ubi una cum ſuis Fratribus Apoſtolico Throno provolutus jaceret: *Gratulor electionem tuam. En verum illud erga te adagium. Quod differtur, non aufertur.* Extat Tomo v. Bullarii Dominicani pag. 419. Diploma hujus Pontificis ad Fr. Sixtum Fabri Generalem Magiſtrum Ordinis da-

datum prædicto anno Chriſti MDLXXXIII. die XXVII. Junii quo ipſum Fabrum variis privilegiis ornat. Florente tum erat ætate Faber annorum ſcilicet plus minus XLII. Extat ejus epiſtola encyclica ad totum Ordinem e Capitulo Generali Romæ MDLXXXIII. data, atque initio Actorum edita. Teſte Fontana in Syllabo pag. 145. Gregorii XIII. juſſu, Decretalium Textum, aliaſque Extravagantes recognovit, ut caſtigatiores in lucem prodirent; idque ſatis oſtendit, fuiſſe Fabrum inſignem Canonici Juris Conſultum, adeoque idoneum, ut in Urbe Viris doctiſſimis abundante, ea provincia illi a Pontifice committeretur.

III. Sixti Fabri meminerunt paſſim cum laude quotquot de Magiſtris Ordinis Prædicatorum ſcripſerunt. Sex annos Ordinem ſumma integritate rexit, in quibus Hiſpaniæ, Lombardiæque Provincias, Romanam, aliaſque Regni Neapolitani inviſit. Dumque totus in obeundis muneris ſui partibus inſtat, inchoataſque proſequitur Viſitationes, Romam a Sixto V. revocatur ad Generale Capitulum anno MDLXXXIX. eo ab ipſo Pontifice convocatum. Et ecce paratis ad Comitia omnibus, Patribuſque jam Romæ præſentibus, antequam adunarentur, auctoritate Summi Pontificis Sixti V. Sixtus Faber ſummo omnium ſtupore, & mœrore loco movetur, & abrogatur, eo dumtaxat titulo, quod interdum arthritide, podagraque vexatus obeundis viſitationibus officioque præpediretur. Pro retinendo Sixto fruſtra totus interceſſit apud Sixtum V. Pontificem Ordo Prædicatorum, ſe uno maxime regi capite ſano repræſentans, non pedibus. Fruſtra & Hiſpaniæ Rex ipſe ſuam pro eodem interpoſuit commendationem. Ad alterius electionem imperante Pontifice procedendum fuit, ſorſque cecidit in Hippolytum Beccarium Pedemontanum. Fabri depoſitionem mirati ſunt a Pontifice tam levi cauſa propeque nulla mandatam, cum nec ipſa, quæ obtendebatur infirmitas, Magiſtrum Ordinis ab Italiæ Provinciarum, & Hiſpaniæ viſitationibus obeundis arcuerit, ut aliunde Fabri petendam eſſe caſus rationem autumarint aliqui. Ut ut ſit, adverſitatem hanc forti, ut decebat, & æquo animo tulit ille,

ille , tandemque in pace quievit Romæ in Conventu S.Sabinæ die xvi. Iunii anno mdxciv. ibidem in majori Eccleſiæ navi cum ſequenti Inſcriptione ſepultus , quam propriis nos oculis legimus , & propria manu deſcripſimus ; corrupte enim a Scriptoribus refertur . Eſt vero hujuſmodi .

D. O. M.
F. SIXTVS . FABRI LVCENSIS
ORD. PRAED.
PROVINCIALIS
IN. ROM. CVR. PROCVRATORIS
VICARII
SAC. PALATII . MAGISTRI
MAGISTRI . DEMVM . GENERALIS
QVINQVAGESIMI
MVNERIBVS
EGREGIE . PERFVNCTVS
H. S. E

Sequitur Stemma , & deinde ſtatim hæc verba :

OB. ROMÆ . ANN. SAL. M. DXCIIII.
XVI. KAL. IVLII
VIX. ANN. LIII. MENSES X. D. XII.
IOAN. PAVLVS . TERRAROSSIVS
OBSERVANTIÆ . ET . LACRYMARV
MONVMENTVM
P. C.

C A P. XLV.

De Fr. Thoma Zobbio.

I. SIxto Fabri in Generalem Ordinis Prædicatorum Magiſtrum electo , Gregorius Papa XIII. Sacri Palatii Magiſtrum delegit anno mdlxxxiii. ſub finem Maii Fr. Thomam Zobbium Brixiæ natum , qui in Bononienſi Conventu enutritus , peracto Studiorum , atque Lectoris curſu , in variis Italiæ Civitatibus ad Sancti Officii Tribunal applicitus , ob eximias dotes , & operam ſuam in Catholicæ Fi-

Digitized by Google

Fidei incrementum egregie impenſam, ab ipſo Gregorio accerſitus jam fuerat Romam anno MDLXXVI. & die VI. Februarii Commiſſarius Sanctæ Inquiſitionis generalis in Urbe inſtitutus, promoto ad Triviſanam Eccleſiam F. Antonio Balduccio, qui eo munere fungebatur. Habitis Romæ anno MDLXXX. Ordinis ſui Comitiis ob novi Magiſtri Generalis electionem, unus e quatuor fuit Zobbius a Summo Pontifice Gregorio XIII. propoſitis, ad quorum aliquem in prædicti Ordinis Magiſtrum aſſumendum electionem coarctavit, tanta erat Zobbii religionis, ceterarumque ad regimen partium apud Pontificem exiſtimatio. Cum ſors autem in Paulum Conſtabilem cecidiſſet, in priori Commiſſarii officio Zobbius perſeveravit, Vicarius etiam poſtea Generalis Ordinis a morte Conſtabilis datus.

II. Extat laudati Gregorii Pontificis XIII. Diploma in Bullario Dominicano, Tomo V. pag. 414. datum MDLXXXII. die XXIII. Octobris, ſpectatque Capitulum generale Fratrum Ordinis Prædicatorum Romæ celebrandum ob mortem Pauli Conſtabilis Magiſtri ejuſdem Ordinis. In eo autem Diplomate ſic inter alia inquit Pontifex: *Nuper defuncto quondam Paulo Conſtabili Ordinis Fratrum Prædicatorum Generali Magiſtro, dilectum filium Thomam Zobbium Brixienſem, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Commiſſarium, uſque ad futuram Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis electionem, Vicarium Generalem ejuſdem Ordinis fecimus, & deputavimus &c.* Fuit poſtea, uti ſuperius dictum eſt, Magiſter Sacri Palatii, in eoque munere ſex annos cum ſui laude vixit, obdormivitque in pace anno MDLXXXIX. & in Eccleſia S. Sabinæ ſepultus fuit, uti poſt Fontanam tradit etiam Echard Tomo II. Scriptorum pag. 295. Vide Notas clariſſimi Bremond in ipſum Gregorii XIII. Diploma.

CAP. XLVI.

De F. Vincentio Bonardo, poſtea Epiſcopo Hieracenſi.

I. ZObbio in Magiſterio Sacri Palatii, ut recte refert Fontana in ſuo Syllabo pag. 146. ſuffectus eſt a Sixto

xto Papa V. anno MDLXXXIX. F. Vincentius Bonardus Romanus, Cœnobii S. Mariæ ſuper Minervam alumnus, Vir tum eruditione, tum & morum integritate conſpicuus, & Concionator egregius. Pluribus in Romanæ Provinciæ Cœnobiis, & inter cætera in ſuo Minervitano Prioris munus cum laude, obſervantiæque regularis incremento geſſit. Hunc ſibi, munerisque ſui Socium aſciverat Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter memoratus Zobbius, de quo ſupra in præcedenti Capite diſſeruimus, unde Sacræ Congregationis Indicis (quæ eſt de prohibitione Librorum, ſuitque erecta a S. Pio V. ut alio loco dicemus) Secretarium eum inſtituit Gregorius XIII. die III. Junii anni MDLXXXIII. ut poſt Fontanam ait Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCI. pag. 349. Sane errat Cardinalis de Luca Parte II. Relationis Curiæ Romanæ, Diſcurſu XIX. ubi ait, Congregationem Indicis erectam fuiſſe a Sixto V. is enim, ut ex contextu ſuæ Conſtitutionis LXXIV. de ea re editæ apparet, nihil aliud fere egit, quam ampliores facultates Cardinalibus tribuere, *qui ad Libros prohibendos, expurgandoſque delecti ſunt*. Sed his obiter dictis, quod noſtram rem ſpectat, illud eſt, Zobbio e vivis erepto anno MDLXXXIX. Sixtum V. in eo munere, quo ille fungebatur Magiſtri Sacri Palatii, ſubſtituiſſe Vincentium Bonardum, quem deinde poſt biennium Gregorius XIV. ad Epiſcopatum Hieracenſem promovit. Sed obiit tandem anno MDCI. die XI. Martii, poſtquam in ſua Sede decem annis laudabiliter reſedit. Edidit Librum de origine, antiquitate, virtute &c. Agnorum Dei, & Synodum primam Hieracenſem, cujus citato loco Jacobus Echard meminit.

C A P. XLVII.

De F. Bartholomæo de Miranda.

I. Poſt Vincentii Bonardi ad Hieracenſem Eccleſiam promotionem, Gregorius XIV. Sacri Palatii Magiſtrum creavit anno MDXCI. Fratrem Bartholomæum Mirandam

dam Hiſpanum Conventus S. Pauli Cordubenſis alumnum, cum in primariis Theologiæ Cathedris Sacras Litteras docuiſſet, Romam a Sixto V. agente Cardinali Alexandrino, accerſitus, Collegii Sancti Thomæ ad Minervam primarius Studiorum Regens, jubente Pontifice, inſtitutus eſt, ut poſt Fontanam in Syllabo, pag. 147. tradit etiam Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCXVII. pag. 321. Tum ab eodem Sixto V. anno MDLXXXVII. die XXI. Junii Procurator, atque Vicarius Generalis ſui Ordinis creatus fuit, uti conſtat ex ejuſdem Pontificis Litteris datis ad ipſum Bartholomæum prædictis anno ac die, quæ legi poſſunt Tomo V. Bullarii Dominicani, pag. 455. erratque Echard loco citato, ubi de ipſo Bartholomæo Miranda loquens, ita ſcribit: *Ad munus deinde Procuratoris Generalis a Magiſtro Ordinis Sixto Fabri anno* MDLXXXVII. *promotus, ab eodem etiam Vicarius Generalis in abſentia ſua inſtitutus*. Conſtat enim, utroque ſimul munere Fr. Bartholomæum a Sixto V. fuiſſe decoratum. Aliorum quoque Pontificum Sixti ſucceſſorum, Urbani VII. Gregorii XIV. & Clementis VIII. donis inſignitus fuit, ac præſertim magni habitus a laudato Gregorio XIV. qui eum, uti dictum eſt, Magiſtrum Sacri Palatii inſtituit, quod munus, recuſato etiam Viglebanenſi in Hiſpania Epiſcopatu a Philippo II. Rege Catholico ſibi oblato, ad mortem uſque ſumma cum laude geſſit. Obiit Neapoli, quo ſe contulerat valetudinis recuperandæ gratia, anno MDXCIX. die VII. Junii, ſepultuſque fuit in Eccleſia Sancti Spiritus Fratrum Prædicatorum apud Palatium Regium, *Funere ejus ſolemni pompa celebrato, omnium Ordinum Religioſis Viris, Principibus, ac Prorege ipſo comitantibus, facibus accenſis ad quatuor hominum millia*, ut ſcribit Fontana, pag. 148. Epitaphium ejus Tumulo inſculptum, referente eodem Fontana, eſt, ut nos pagina ſequenti deſcribemus. Sane curavimus, ſcribi Neapolim ad memoratos Fratres Dominicanos Cœnobii S. Spiritus, ut Epitaphium ipſum fideliter deſcriptum Romam tranſmitterent; qui tamen reſponderunt, facta ab ipſis diligentia, nullum laudati Mirandæ Epitaphium fuiſſe inventum.

Digitized by Google

D. O. M.
REVERENDISS. P. F. BARTHOLOMÆO MIRANDA
CORDVBENSI ORD. PRÆDIC.
SACRI PALATII MAGISTRO
SVMM. PONT. VRBANI VII. GREGORII XIV.
ET CLEMENTIS VIII. DONIS DECORATO
PROCVRATORIS ET VICARII GENERALIS EIVSDEM ORD.
OFFICIO PRIVS FVNCTO
CONCIONATORI CELEBERRIMO
STVDIORVM ROMÆ ET HISPANÆ PRÆFECTO INSIGNI
VIRTVTVM OMNIVM DECORE LAVDABILI
LIII ÆTATIS SVÆ ANNO
NEAPOLI IN CONVENTV SANCTI SPIRITVS
AD MELIOREM VITAM TRANSITV CLARO
F. IO: SARAGOZZA S. THEOL. MAG. EIVS DILECTISSIMVS
CVM LACRYMIS ET MOERORE EXTREMAM MANVM POSVIT
ANNO DOM. MDLXXXXVII.
VII. DIE IVNII.

II. Bartholomæi Mirandæ cum laude meminere Scriptores ſui Ordinis, inter quos tamen Altamura, ut notat Echard, hallucinatur, quum hunc Bartholomæum Concilio Tridentino affuiſſe anno MDXLVI. & concionem in eo habuiſſe Dominica III. Quadrageſimæ coram Patribus, narrat, eo enim anno vix Bartholomæus cunas exceſſerat. Hallucinandi occaſionem dedit cognomen. Verum eſt, Bartholomæum de Carranza, qui *de Miranda* etiam cognominabatur, in Synodo Tridentina concionem habuiſſe, ſed prima quidem Dominica Quadrageſimæ, non tertia. Porro Bartholomæum Miranda, de quo nos loquimur, plures eleganti, ac venuſto ſermone Hiſpano conciones edidiſſe, ajunt. Extat *Oratio habita coram D. N. Sixto V. Pontifice Maximo Dominica prima Adventus ab admodum R. P. F. Bartholomæo de Miranda Magiſtro in Sacra Theologia*, *ac totius Ordinis Prædicatorum Procuratore*, *ac Vicario Generali*, *quam R. P. F. Joannes Bru Provinciæ Aragoniæ procurator precibus amicorum adductus propriæ devotionis cauſa in lucem edere curavit*, Romæ MDLXXXVII.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XLVIII.

De F. Joanne Baptiſta Lancio.

I. FRatre Bartholomæo Miranda Neapoli vita functo anno MDXCVII. mox ei in Sacri Palatii Apoſtolici Magiſterio ſubſtituit Clemens Papa VIII. F. Joannem Baptiſtam Lancium Regii Lepidi in Lombardia natum, Ordinemque Prædicatorum ibidem profeſſum, Sacræ Theologiæ Doctorem, qui in Scholaſticis diſciplinis, atque Fidei Catholicæ negotiis pertractandis verſatiſſimus, proptereaque in multis ſuæ Provinciæ locis, ac præſertim Januæ Inquiſitoris munus laudabiliter obivit, a Sacri Palatii Magiſtro Paulo Conſtabili Socius aſcitus, Secretarius Congregationis Indicis Antonii Poſſii abſentis vices una ſupplevit, ejuſdemque poſtea anno MDLXXX. die XVII. Novembris ſuffectus eſt loco, a Gregorio XIII. inſtitutus. Tum a Magiſtro Ordinis Fr. Sixto Fabri aſſumtus in Socium ſollicitudinum, & adminiſtrum, Priorique Provincialis Terræ Sanctæ Titulo decoratus, cum eodem Italiam omnem, & Hiſpaniam luſtrando peragravit. Verum Sixto Fabri, ut dictum eſt ſupra Cap. XLIV. a Sixto Papa V. anno MDLXXXVIII. a Generalatu Ordinis exauthorato, Lancius quoque ejus Socius exauthoratus, a Hieronymo Cardinali Bernerio ſui ejuſdem Dominicani inſtituti, Theologus domeſticus, & commenſalis allectus eſt, & deinde Inquiſitor Januenſis inſtitutus; quod munus cum ab anno MDXC. ad MDXCVII. egregie exercuiſſet, demum eodem Cardinali, cui Lancium dotes eximiæ plurimum commendabant, agente, & procurante, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter a Clemente VIII. creatus fuit, eoque munere functus eſt ad annum uſque ſequentem MDXCVIII. quo vivere deſiit, fuitque in Eccleſia S. Sabinæ ſepultus, ut teſtatur Fontana in Syllabo pag. 150. & in ſuo Dominicano Theatro. Teſte Rovetta ad annum MDLXXXVII. hæc ab eo relicta ſunt ingenii ſui monumenta: *Tractatus de poteſtate Romani Pontificis*; itemque: *Summa adverſus hæreſes ſui temporis*. De quibus penes eum Fides,

Digitized by Google

des, cum iſta non ſolum ſileant alii, ſed & ipſe, ubi ſerventur mſs. vel impreſſa, aut a quo viſa, non indicet, uti notat Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDXCVIII. pag. 323.

C A P. XLIX.

De F. Joanne Maria Guanzello, ſeu de Guanzellis, poſtea Polymnianenſi in Apulia Epiſcopo.

I. JOanni Baptiſtæ Lancio ſucceſſit in Magiſterio Sacri Palatii a Clemente Papa VIII. inſtitutus F. Joannes Baptiſta Guanzellus, ſeu de Guanzellis, ſive Briſichellenſis, ſeu *de Briſighella*, ut ſcribit Fontana in Syllabo pag. 151. a Patria Faventinæ Dioeceſis, unde prodierunt plurima Religionis Dominicanæ ornamenta, maxime duo Generales ejuſdem nominis, Auguſtinus Recupetus, & Galaminius, ſic nuncupatus, Provinciæ Lombardiæ Alumnus, Vir primi nominis Theologus, Orator facundiſſimus, Sacrorum Canonum peritiſſimus, in conſiliis acer, eaque ratione Joanni Cardinali Aldobrandino laudati Papæ Clementis VIII. nepoti cariſſimus, atque in expeditione Ferrarienſi Socius. Ergo ab hoc Pontifice conſtitutus Sacri Palatii Magiſter anno MDXCVIII. munus illud egregie, & ſedulo implevit, fuitque hic auctor, ut Romæ anno MDC. die XXIX. Junii, Clemente VIII. Pontifice Maximo, in Eccleſia S. Barbaræ inſtitueretur Societas, ſeu Confraternitas, ſive Univerſitas Bibliopolarum ſub invocatione S. Thomæ Aquinatis, uti ejuſdem Societatis Statuta nos docent, ex quibus etiam habemus, anno ſequenti MDCI. die VII. Junii in Palatio Apoſtolico, in ædibus ſcilicet ipſius Guanzelli Sacri Palatii Magiſtri, præviis orationibus, factam fuiſſe primam Prioris ejuſdem Societatis electionem, in qua electus fuit Bartholomæus Graſſi. Videri de eadem re poſſunt Fanuccius in Libro, quem edidit anno MDCI. de piis Operibus Romæ, ubi agit de Sanctæ Barbaræ Eccleſia Lib. IV. Cap. XLVII. & alii paſſim, qui Eccleſias Urbis recenſent.

II. Guan-

II. Guanzelli cum laude meminere Vincentius Baronius Lib. II. *Apologiæ*, Sectione I. §. ultimo, Rovetta ad annum MDCXI. & alii, qui de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum ſcripſere; fuit enim ille pius æque, ac doctus, egregieque functus eſt munere Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici ad annum uſque MDCVII. quo, ut ſcribit Vincentius Fontana, *Oratoris celeberrimi in Romana Curia ſibi nomine obtento, gratioſuſque Prædicator agnitus a Paulo V. die xxv. Junii, MDCVII. ad Polymnianenſem Eccleſiam aſſumptus eſt, in qua decem, & ſeptem annis, Paſtoris optimi exemplo relicto, vixit, viditque vitæ ſuæ terminum anno MDCXIX.* Ita ille, qui tamen miſere errat, ſi enim, ut ipſe teſtatur, anno MDCVII. electus fuit Epiſcopus, & obiit anno MDCXIX. jam non decem & ſeptem annos Polymnianenſem Eccleſiam rexit Guanzellus; ſed duodecim circiter annis, ut notat Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCXIX. pag. 413. Sane ſepultus fuit Guanzellus in ſua Cathedrali ſub tumulo, quem ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus vivens paraverat, adjecto Epitaphio, quod refert Ughellus Tomo VII. Italiæ Sacræ, & ex eo memorati Fontana & Echard, ac noviſſime Bremond Tomo V. Bullarii Dominicani in Appendice ad Conſtitutiones Pauli V. pagina 720. & eſt hujuſmodi.

D. O. M.
F. IO: MARIA BRISICHELLEN. EX ORD. PRÆD.
MISERRIMVS PECCATOR SIBI ET SVCCESSORIBVS
VIVENS POSVIT ANNO MDCXII.
A NATIVITATIS SVÆ ANNO L.
CONQVISITIS ETIAM QVORVNDAM PRÆDECESSORVM
SVORVM OSSIBVS NON MINVS RELIGIOSE
QVAM HONORIFICE COLLOCARI PRÆCEPIT
OBIIT ANNO DOM. MDCXIX.

III. Teſte Echard, hæc ab eo prodierunt Opera: *Indicis Librorum expurgandorum in Studioſorum gratiam confecti Tomus primus, in quo L. Auctorum Libri præ cæteris deſiderati emendantur, in unum corpus redactus, & publicæ commoditati editus*, Romæ Typis Cameræ Apoſto-

ſtolicæ MDCVII. iterumque Bergomi MDCVIII. II. *Synodus Diœceſana Polymnianenſis*, excuſa Barii. Porro fuiſſe Briſichellenſem, pium æque ac doctum, atque ex Magiſtro Sacri Palatii a Paulo V. ad Epiſcopatum Polymnianenſem aſſumptum, Paſtoris munere diligentiſſime impleto, cum ſumma pietatis fama obiiſſe anno MDXIX. jam varii Auctores notant, contemnenduſque iccirco Petrus a Valle clauſa, qui illum peſſime lacerat, temereque ait, ab illo quinquaginta quinque propoſitiones ex Emmanuele Sa injuſte damnatas, tanquam intolerabiles, in praxi non ferendas. Sed hunc hominem audaciſſimum, ut alios omittam Scriptores, egregie confutavit doctiſſimus Vincentius Baronius in ſuo Apologetico, ubi & alios ſui Dominicani Ordinis alumnos ab injuriis, calumniiſque ejuſdem inſolentiſſimi hominis ſolide vindicavit.

C A P. L.

De F. Auguſtino Galamino poſtea Generali Magiſtro Ordinis, & deinde S. R. E. Cardinali.

I. ASſumto ad Polymnianenſem Sedem Guanzello anno MDCVII. Paulus V. in ejus locum Sacri Palatii Magiſtrum adlegit F. Auguſtinum Galaminum de Briſichella, ſeu Briſighella Faventini Cœnobii Alumnum, Virum ſupra omnem laudem, ſeu doctrinam, & pietatem, ſeu diſciplinæ regularis ſtudium ſpectes. Adoleſcens inſtitutum Ordinis Prædicatorum amplexus per omnes Ordinis gradus ad ſupremum tandem aſcendit. Cum enim Inquiſitoris munere variis in locis Brixiæ, Placentiæ, Januæ, Mediolani egregie perfunctus eſſet, a Clemente VIII. ex Inquiſitione Mediolanenſi anno MDCIV. Commiſſarius Generalis Sanctæ Inquiſitionis in Urbe conſtitutus eſt, tum vero a Paulo V. Magiſter Sacri Palatii anno MDCVII. renunciatus, ac tandem toti Prædicatorum Ordini præfectus in Capitulo Generali Romæ habito anno MDCVIII. Extant Tomo V. Bullarii Dominicani pag. *662*. datæ ad eum Litteræ ab eodem Pon-

Digitized by Google

Pontifice Paulo V. die XI. Junii prædicti anni MDCVIII. in quibus Fratrum Prædicatorum zelus commendatur, quos Auguſtinus ipſe Galaminus initio ſui regiminis mittere in varias mundi partes conſtituerat, ut Sacras Miſſiones obirent: *Cæleſtium munerum theſauros*, ait Pontifex, *quorum diſpenſatores nos eſſe voluit Deus, libenter his impartimur, quos pro ſua in Deum, & proximos charitate, & Chriſtianæ Religionis zelo, animarum ſalutem omni ſtudio procurare intelligimus; quo in numero in Ordine Prædicatorum Religioſos habemus, eoſque in primis, quos dilectus Filius Auguſtinus Galaminius ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis, hoc ipſo, & ſequentibus annis, in diverſas Chriſtianæ Reipublicæ Provincias mittere conſtituit.*

II. Dedit præterea ad ipſum Galaminum Paulus Pontifex V. & alias Litteras die XXVIII. Septembris anni MDCX. quibus volenti illi totius Ordinis ſui viſitationem ſuſcipere ampliſſimam facultatem conceſſit, ut in eiſdem Litteris videre eſt, quæ extant citato Tomo V. Bullarii Dominicani pag. 678. & ſeqq. Pariſiis commorans habuit ibidem Galaminus anno MDCXI. generale Capitulum, quod ex Patrum doctiſſimorum concurſu fuit celebratiſſimum; gratulatuſque eſt de ea re Galamino idem Pontifex Paulus V. Litteris datis die v. Julii ejuſdem anni MDCXI. in quibus Galaminum ejuſque geſta ſummis laudibus ornat. Extant hæ Litteræ citato Tomo v. Dominicani Bullarii, pag. 683. quas lubet hoc loco deſcribere: *Summa*, inquit, *cum animi noſtri conſolatione legimus, quæ tuis Litteris nuper nobis ſignificaſti de Capitulo generali Fratrum tuorum habito Lutetiæ Pariſiorum, in quibus facile cognovimus, quanto pietatis zelo, quantaque prudentia, atque vigilantia miniſterium tuum exerceas plane, quemadmodum de Religione, & virtute tua Nobis pollicebamur. Plurimum quidem gaviſi ſumus, ita inſtituta, ac pertractata fuiſſe cuncta, ut in omnibus actionibus, atque congreſſibus, quos privatim inter ſe, aut publice cum aliis Religioſis Viris, Fratres tui habuerunt, diſciplina illa admirabilis eluxerit, qua Dominus diſcipulos ſuos facile ab hominibus agno-*

Digitized by Google

ſcendos eſſe duxit, caritas nempe, quæ virtutum omnium eſt vinculum, atque perfectio; quo nomine te valde laudamus, cum id inprimis factum ſit conſilio, & opera tua &c.

III. Dum Pariſiis adhuc Auguſto maneret Galaminus, de ſua ad Cardinalatum promotione die XVII. ejus menſis ab eodem Paulo V. facta nuncium accepit, & biretum inaugurationis inſigne, unaque Breve Summi Pontificis, quo etſi Cardinalis, regimen nihilominus Ordinis exercere jubebatur ad Succeſſoris uſque electionem. Hinc recta via nec alias viſitans, aut inviſens Provincias, aut Conventus, quam qui in itinere erant obvii, feſtine Romam progreſſus eſt, quo ubi pervenit, Titulo S. Mariæ de Aracæli condecoratus, Lauretanus & Recanatenſis electus eſt Epiſcopus anno circiter MDCXIII. atque deinde ad Auximanam anno MDCXX. translatus, ut notat Bremond Tomo V. memorati Bullarii in Appendice ad Conſtitutiones Pauli V. Utramque autem Eccleſiam viciſſim ſic ſedulus adminiſtravit, ut e Diœceſis ſuæ limitibus nunquam exierit, niſi ut Summorum Pontificum Gregorii XV. & Urbani VIII. electioni Romæ adeſſet. Teſte Vincentio Fontana in Syllabo pag. 154. *Ordinis ritus, mores, cibos, ac indumenta, quoad vixit, fideliter ſervavit quamquam nonagenarius, qua in ætate clariſſimus Vir, Religionis jubar, Paſtorum ſpeculum, Sacrique Senatus decor anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono menſe Julio in pace quievit, pauperibus ex aſſe heredibus relictis, & inter ceteros Conventui S. Mariæ ſuper Minervam viginti loca montium libere legavit. Jacet in ſua Cathedrali communibus lacrymis parentatus.*

IV. Laudatur Galaminus a variis Scriptoribus tum Ordinis ſui Prædicatorum alumnis, tum exteris, quos recenſet doctiſſimus Bremond Tomo V. Bullarii in citata Appendice ad Pauli Papæ Conſtitutiones pag. 717. & 18. ubi Galamini Epitaphium legitur, quod extat apud Ciaconium, Tomo IV. Vitarum Pontificum, & Cardinalium, col. 429. ubi etiam Encomium habetur, quod memorato Cardinali univerſus Ordo Prædicatorum ſcripſit in Actis Capituli ſui Generalis Valentiæ in Hiſpania celebrati.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
FR. AVGVSTINVS S. R. E. PRESBYTER CARD.
DE ARACAELI
EX GALAMINA ET RECVPERATA
FAMILIIS ANTIQVIS ET HONESTIS
IN TERRA BRISIGHELLÆ ORTVS
EX CALIGARIA FLORENTINA ORIVNDIS
PRÆDICATORVM ORDINI AB ADOLESCENTIA ADSCRIPTVS
PER OMNES EIVSDEM ORDINIS GRADVS
AD COMMISSARIATVM S. OFFICII
AD MAGISTRATVM S. PALATII
AD GENERALATVM DOMINICANORVM EVECTVS
EXINDE AD CARDINALITIAM PVRPVRAM
AD EPISCOPATVM RECINATENSEM ET LAVRETANVM
AC DEMVM AD AVXIMANVM PROMOTVS
MAGNA SANCTIMONIÆ FAMA VIXIT ET OBIIT
HÆREDE SCRIPTA
SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE
QVÆ VT TANTÆ BENEFICENTIÆ GRATITVDO
TANTI VIRI MEMORIA
AC TANTVM VIRTVTIS EXEMPLVM
POSTERORVM EXEMPLO ET STIMVLO CONSERVARETVR
IN HOC SACELLO EX SVPREMA IPSIVS TESTATORIS
VOLVNTATE ORNATO
PRÆSENS VOLVIT EXTARE MONVMENTVM
CVRANTIBVS
M. CARDINALE LANTE EPISCOPO OSTIENSI
B. CARDINALE SPADA EPISCOPO ALBANENSI
P. M. DIACONO CARDINALE BVRGHESIO
EXECVTORIBVS TESTAMENTARIIS
NATVS ANNO SAL. MDLII.
OBIIT MDCXXXIX.

V. Teſte Rovetta hæc ejus Opera. I. *Acta Synodalia*. II. *Inſtitutiones pro Clero Auximenſi*. Quibus addi poſſunt Epiſtolæ, quæ Magiſter Ordinis ſcripſit, quarum colectio Romæ habetur, ac tandem ejus teſtamentum, quod prodiit Romæ anno MDCXXXIX.

Digitized by Google

CAP. LI.

De F. Ludovico Yſtella.

I. AD Ordinis regimen Galamino aſſumto anno Domini MDCVIII. ſubſtituit mox Paulus V. in Magiſterio Sacri Palatii F. Ludovicum Yſtellam Hiſpanum, Valentini Cœnobii alumnum, qui ibidem, ut tradit Echard Tomo II. Scriptorum anno MDCXIV. pag. 391. ad Prædicatorum Ordinem adſcitus, magni vir apud ſuos nominis, & auctoritatis, Sacræ Scripturæ Cathedram primariam in Academia Valentina annis XX. tenuit, ab anno ſcilicet MDLXXX. ad MDC. quo in munere plurimum enituit Sanctæ Inquiſitionis ſimul allectus Qualificator. Anno vero MDC. cum apud Sedem Apoſtolicam de Ludovici Bertrandi promovenda Beatificatione Hiſpaniæ Rex Philippus III. Regnique Valentini Proceres, & Magiſtratus inſtarent, ab iiſdem Yſtella tum Prior Valentinus, delectus eſt, Romamque legatus orator & procurator, qui negotium ſanctum urgeret; cui dum ſedulo inſtat, Fratri Hieronymo Xavierre in Comitiis Ordinis Generalibus Romæ habitis anno MDCI. e Provinciali Aragoniæ ad totius Ordinis regimen aſſumto, mox ab eodem Socius adſcitus eſt, & Terræ Sanctæ Provincialis inſtitutus, quo titulo in iiſdem Comitiis ſedit, ac diffinivit. Xavierre ad Provincias Ordinis viſitandas pergente, relictus eſt Romæ Yſtella Vicarius Generalis ad annum uſque MDCII. quo in Urbem ille reverſus eſt, ut celeberrimis Congregationibus de Auxiliis, quæ ſub Clemente Pontifice VIII. habebantur, præſens adeſſet; iis vero menſe Januario anni MDCV. finitis, cum idem Xavierre in Hiſpanias ſe contuliſſet, Comitia Ordinis Pinciæ celebraturus, iterum ab eodem Ludovicus Yſtella poſitus eſt & datus Ordinis Vicarius Generalis, quo munere hac vice functus eſt ad annum uſque MDCVIII. quo F. Auguſtino Galamino in locum Hieronymi Xavierre ad Cardinalatum a Paulo V. evecti Magiſtro Ordinis electo, huic ſuffectus eſt ab eodem Paulo V. in Magiſterio Sacri Palatii Succeſſor. Magna quippe apud

apud laudatum Pontificem, ut & apud omnes erat ob ſummam eruditionem cum prudentia, & in agendis dexteritate conjunctam gratia & exiſtimatione. Sex annis ſolidis eo in officio ſtetit, dumque ei majora parabantur, vitam cum morte commutavit die v. Septembris anno MDCXIV. ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam teſte Fontana in Syllabo pag. 115. *ante gradus Prebyterii Aræ maximæ, prout in Libro mortuali Eccleſiæ noſtræ S. Mariæ ſuper Minervam habetur, nulla proloquente memoria*. Scripſit vero, & in lucem edidit hoc Titulo, *Commentaria in Geneſim, & Exodum in Parengrapham expoſitionem, & Scholia diſtributa. Additus eſt Elenchus in Evangelia, quæ per anni circulum in Eccleſia decantari ſolent*. Meditabatur, inquit Echard loco citato, & ceteros Scripturæ Libros pari diligentia, & eruditione commentari, verum alio vocatus, & impeditus impoſiti muneris officio, non perfecit, nec edidit.

C A P. LII.

De F. Hyacintho Petronio, poſtea Epiſcopo Melphitenſi.

I. SEquuto obitu Ludovici Yſtellæ anno MDCXIV. Paulus V. delegit mox in Magiſtrum S. Palatii F. Hyacinthum Petronium Romæ nobili loco natum, Cœnobii S. Mariæ ſupra Minervam alumnum; qui emiſſa ibidem profeſſione profectus eſt mox in Hiſpaniam ſtudendi avidus; peractoque Salmanticæ feliciter Studiorum curſu, Lector artium inſtitus eſt Abulæ. In Patriam, ſuamque Minervam ſubinde reverſus, artium Magiſter primum, tum Studentium Magiſter, deinde Sacræ Theologiæ Baccalaureus in Comitiis Romæ anno MDCVIII. habitis datus. Studiorum Regens tandem, & variis demum ſuæ eruditionis ſingulari cum omnium admiratione factis experimentis, Magiſterii laurea donatus, ac in Capitulo Generali Pariſiis anno Domini MDCXI. celebrato confirmatus, Ludovico Yſtellæ die v. Septembris anni MDCXIV. ut dictum eſt, Romæ extincto,

cto, a Paulo V. mox Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter ſuffectus eſt, ut poſt Fontanam in Syllabo pag. 155. & 57. tradit etiam Jacobus Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCXLVII. pag. 553.

II. Octo annis eam dignitatem Petronius ſuſtinuit, ac cum invicto animi robore, zeloque, & prudentia geſſit, donec a Gregorio XV. die v. Septembris anni MDCXXII. ad Epiſcopatum Melphitenſem in Neapolitano Regno promotus fuit. Ab Urbano VIII. Regni Neapolitani ſupremus Inquiſitor factus, eoque præclare functus pluribus annis munere, vivere ibidem deſiit menſe Septembri anni tamen MDCXLVII. Melphitanam ipſum Eccleſiam Petronius jam magna cum laude totis ferme XXV. annis ſumma pietate, vigilantia, animique moderatione rexit; Conventumque Ordinis in ſua Civitate fundavit pinguiori cenſus annui largitione dotatum. Scripſit, ac typis edidit, *De neceſſitate præconverſionis aquæ in vinum in confectione Sacramenti Sanguinis Chriſti*, Romæ typis Jacobi Maſcardi MDCXXI. Quod Opuſculum Gregorio XV. nuncupavit, in eoque, ut adnotavit Echard, plus ſtuduit quæſtionem ratiocinamentis dialecticis, Philoſophorumque auctoritatibus conficere, quam phyſicis experimentis facere ſatis. II. *Summulas dialecticas*, quæ quidem tanti habitæ, ut in Capitulo Generali Bononiæ anni MDCXV. omnibus Provinciæ Romanæ Artium Lectoribus injunctum fuerit, ut eas ſuis oretenus prælegerent diſcipulis. III. *Quæſtiones in Ariſtotelis Logicam*. IV. *Quæſtiones in Phyſicam*. Ceterum hactenus laudatas lucubrationes leviores ejus, & priorum annorum operas Echard cenſet, actaque alia majoris momenti, ſeu dum Magiſterii Sacri Palatii munere fungeretur, ſeu dum Eccleſiæ Melphitanæ præeſſet, ab eo prodiiſſe ait, puta, *Ordinationes pro recto ſuæ Diœceſeos regimine Melphi forſan*; & *Acta ejus ut Inquiſitoris Regni Siciliæ*. Tanti viri cum laude meminere inter alios in ſua Italia Sacra Ughellus, & Scriptores Ordinis Prædicatorum, qui vitas & geſta Epiſcoporum ex ſuo eodem Ordine aſſumtorum recenſent.

CAP.

C A P. LIII.

De F. Nicolao Ridolfi, poſtea Generali Magiſtro Ordinis.

I. HYacintho Petronio ad Melphitenſem Sedem evecto, anno MDCXXII. Gregorius XV. delegit mox in Magiſtrum Sacri Palatii F. Nicolaum Ridolfi, ſeu Rodulpho, ſeu Rudolpho, ſeu etiam alias, ut notat Bremond Tomo VI. Bullarii pag. 59. in Nota III. excelſi magnique animi Virum, & Patritia perantiquaque apud Florentinos Ridolfiorum, ſeu, ut alii ſcribunt, Rodolfiorum Familia. Natus eſt Florentiæ, adoleſcenſque Romam miſſus liberalibus litteris erudiendus noſtrum S.Philippum Nerium nactus eſt in ſpiritualibus & arcanis confeſſionibus Patrem; quo & Auctore invitis parentibus Ordinem Prædicatorum eſt amplexatus in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam anno circiter MDXCII. Tyrocinio exacto, emiſſaque profeſſione, mox ad ſtudia applicitus, tantos in illis progreſſus fecit, ut conſummato curſu, & lectis Philoſophia ac Theologia Romæ in Conventu Minervitano, lauream tandem Magiſterii a ſupremo Ordinis totius Magiſtro F. Seraphino Sicco meruerit, quæ & ei confirmata, & approbata fuit in Comitiis Ordinis Ulyſſipone habitis anno MDCXVIII. Ad Romanæ ſuæ Provinciæ regimen poſtmodum aſſumtus,& non multo poſt, anno ſcilicet MDCXXII. a Gregorio Pontifice XV. Magiſter Sacri Palatii delectus fuit & inſtitutus.

II. Mortuo anno MDCXXVIII.die XXIV.Septembris memorato Magiſtro Ordinis F. Seraphino Sicco, ab Urbano Papa VIII. Magiſterium Sacri Palatii tenens, Vicarius Generalis Ordinis renunciatus eſt, extantque Tomo VI. Dominicani Bullarii pag. 57. ejuſdem Urbani Papæ litteræ datæ die XIV. Februarii anni MDCXXIX. ubi agens de confirmando Rectore Orioleņſis Collegii, utriuſque muneris, quo Ridolfius fungebatur, mentionem facit: *Exponi*, inquit, *Nobis nuper fecit Nicolaus Rodulfius Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter, ac Ordinis Prædicatorum Vicarius Apoſtolicus Generalis &c.* Anno ipſo MDCXXIX. die II. Junii Vi-

Vigilia Pentecoſtes communi omnium Electorum ſuffragio in Comitiis Generalibus Romæ celebratis, ad ſupremum Ordinis regimen eſt aſſumtus. Qui Vir magnanimus, zeloque Ordinis ſuccenſus, diſciplinam aſſerere, ac ſtudia ubique promovere fatagens, omnes Italiæ primum, tum Galliæ annis MDCXXXI. & XXXII. viſitavit Provincias; extantque prædicto Tomo VI. Bullarii Dominicani pag. 68. ad ipſum datæ ab Urbano Papa VIII. Litteræ die XXI. Julii anni MDCXXIX. quibus facultates varias concedit eidem Ridolfio ad peragendam totius Ordinis ſui viſitationem. Romam redux ſubditos ſumma pace, & æquitate, omnibus probatus, Principibus, ſeu Eccleſiæ, ſeu ſeculi acceptus, nec mediocri pollens apud eos auctoritate rexit ad annum MDCXLI.

III. Tum privatis, ut ferunt, Urbani VIII. familiæ, ſed occultis de cauſis in eum concepto odio, inanibuſque in ſpeciem per concitatos in eum ſodales eidem objectis, ab eodem Summo Pontifice primum ſuſpenſus, & apud Canonicos Regulares S. Petri ad Vincula detentus, mox Neapolim relegatus eſt, præfecto, datoque Ordini F. Dominico Gravina Vicario Generali. Quo defuncto, & Capitulo Generali Januæ ad Kalendas Octobris anni MDCXLII. contra Leges Ordinis, ſed volente Pontifice coacto, magna inter Vocales ſuborta eſt diviſio, & ab altera quidem parte apud S. Dominicum congregata, cui præerat F. Michael Mazarinus Romanæ Provinciæ Exprovincialis, Vicarius Generalis ab Urbano inſtitutus, poſtea Magiſter Sacri Palatii, & deinde S. R. E. Cardinalis, Ridolfius a munere Magiſtri Ordinis dejectus eſt, eique ipſe Michael ſuffectus; altera vero Vocalium pars major nempe ex Provinciis ditioni domus Auſtriacæ ſubjectis in Cœnobium Cornelianenſe ad Genuam cedens, alium elegit, ſibique præfecit Magiſtrum Generalem, Virum etiam, & natalibus, & meritis illuſtrem, Fr. Thomam de Roccamora Aragonum. Hanc ſui Ordinis ſciſſionem acerbius tulit Ridolfius, quam ſui ipſius e Magiſtratu ejectionem. Urbanus vero Pontifex Acta generalis Capituli Januæ, & Corniliani coacti reſcidit, Litteris ſuis datis anno ipſo MDCXLII. die IX. menſis No-

Novembris, quibus etiam *regimen, gubernium, & adminiſtrationem ejuſdem Ordinis, ac ſuperioritatem plenam, & omnimodam, ac quamcumque neceſſariam, & opportunam interim exercendas Cardinali ejuſdem Ordinis Protectori Antonio Barberino, & Cardinali Veroſpio Viceprotectori, & cuilibet eorum in ſolidum &c.* conceſſit, & impartitus eſt. Extant hæ Litteræ in eodem Tomo VI. Bullarii Dominicani pag. 117.

IV. Interea Ridolfius in ſuo exilio bene ſibi conſcius, & tranquillus orationi, & ſilentio, aſſuetiſque ſibi religioſis officiis deditus, patientiſſime omnia ferebat. Ferunt nonnulli, teſte Echard ad annum MDCXXIX. pag. 458. ex quo hanc fere omnem relationem accepimus, Urbanum Papam VIII. præcipitis ſuæ adverſus hominem præſtantiſſimum Sententiæ pœnitentem, Archiepiſcopatum illi obtuliſſe, quem ille conſtanter recuſavit, ajens, quem ſuo Ordini regendo imparem judicarat, immerito ad dignitatem Epiſcopalem, & ad amplam Diœceſim regendam promoveri. Certe extat citato toties Tomo VI. Bullarii Dominicani pag. 132. & ſeqq. Urbani VIII. Papæ Diploma datum anno MDCXLIV. die XVII. Aprilis, quo, ad tollendum ſchiſma in Ordine Dominicano exortum, tribus tunc temporis extantibus generalibus Ordinis Magiſtris, Capitulum generaliſſimum Fratrum Prædicatorum in Urbe, & Monaſterio S. Mariæ ſuper Minervam ejuſdem Ordinis in Feſto Pentecoſtes anno MDCXLIV. celebrandum convocavit, & Nicolaum Ridolfium, quem a magiſterio Generali amoverat, ad Eccleſiam Cathedralem transferendum decernit: *Intendimus tamen prævia etiam proceſſus contra eundem Nicolaum fabricati abolitione, quam ex nunc fieri mandamus, provideri ipſum Nicolaum, etiam ex cauſis nos moventibus, de Eccleſia Cathedrali, prout eidem per Prælatos a Nobis deputatos ſignificari fecimus, & ne de præmiſſis ignorantia a quoquam prætendi poſſet, volumus, præſentes eidem Nicolao, tradita illarum copia, & quibuſcumque aliis Vocalibus, & Electoribus prædicti Capituli per affixionem dumtaxat in valvis prædictæ Eccleſiæ S. Ma-*

riæ ſuper Minervam intimari &c. Porro celebratis anno MDCXLIV. juſſu Urbani Papæ generaliſſimis Romæ Comitiis, cum ejuſdem Pontificis arbitrio, & auctoritate loco motus fuiſſet Ridolfius, Thomas Turcus die XIII. Maji Sabbato Vigilia Pentecoſtes in primo ſcrutinio electus eſt Magiſter Ordinis, ingentique Electorum lætitia, ac plaudente Urbe ſalutatus, de quo plura notavit Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCXLIV. pag. 535.

V. Mortuo Urbano anno MDCXLIV. die XXIX. Julii, Innocentius X. eodem anno ei ſuffectus, cauſam Ridolfii a capite recognoſci volens, quinque Cardinales in id delegavit, qui omnibus expenſis, omnia adverſus Ridolfium acta, ut nulla, & temeraria reſciderunt ſequenti Decreto. quod legitur in Tomo VI. Bullarii Dominicani, pag. 158. & ſeq. in Notis ab eruditiſſimo Bremond editis ad Conſtitutionem XIV. Innocentii X. *Nos Cardinales, Lantes, Genninus, Spada, Cornelius, & Franciottus, Judices Commiſſarii in cauſa, & cauſis coram nobis vertentibus inter D. Fauſtum Gallutium S. D. N. P. & Rev. Cam. Apoſt. generalem Procuratorem Fiſcalem, & prætenſos illi adhærentes ex una, & Reverendiſſimum P. Nicolaum Rodulphium Ordinis Prædicatorum ex altera, ſuper prætenſis exceſſibus, de quibus in Litteris in forma Brevis S. M. Urbani VIII. ſub datum Romæ die xxiij. Aprilis, xx. Maji, & xxvii. Junii* MDCXLII. *necnon in proceſſibus contra ipſum deſuper fabricatis. Viſa commiſſione S. D. N. Innocentii PP. X. viſis, accurateque diſcuſsis iiſdem proceſsibus ad hunc effectum ex arce S. Angeli vigore Chirographi S.D.N. extractis ſub die v. Januarii præſentis anni* MDCXLV. *Viſis aliis Litteris in ſimili forma Brevis ejuſdem felicis recordationis Urbani VIII. ſuper abolitione eorundem proceſſuum ſub datum Romæ die xxvii. Aprilis* MDCXLIV. *Item viſis monitionibus vigore Litterarum noſtrarum miſsivarum per Rever. P. Nuncium Neapolis Fratribus Thomæ Catoni, & Dominico Eliſio prædicti Ordinis, qui ſupplicem libellum EE. Dominis Cardinalibus, Veroſpio, & Antonio Barberino Protectori porrexerant contra præfatum Reverendiſſimum*

mum Patrem Rodulphium factis ſub diebus xi. & xxiii. Aprilis MDCXLV. *ſeu &c. ad comparendum, & deducendum coram nobis per ſe, ſeu per Procuratorem quidquid ſua putarent intereſſe ratione, & ex cauſa ad proceſſum: viſaque reſponſione prædictæ intimationi per dictum P. Dominicum Eliſium in ſcriptis factam, necnon audito in plena Congregatione dicto F. Thoma Catoni a præfata Urbe Neapolitana Romam profecto, aliiſque viſis videndis, & conſideratis conſiderandis. Chriſti nomine invocato, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam ferimus in his ſcriptis, dicimus, declaramus, & diffinitive ſententiamus, eundem Reverendiſſimum Patrem Rodulphium a prætenſis exceſſibus in prædictis Litteris ſanctæ memoriæ Urbani VIII. enunciatis, & in eiſdem proceſſibus deductis, nil reperto, quod ejuſdem integritati labem, aut præjudicium inferat, vel inferre poſſit, fore, & eſſe abſolvendum, prout nos per hanc noſtram diffinitivam ſententiam abſolvimus, & liberamus, & pro liberato haberi volumus, & mandamus, proceſſuſque prædictos de jure caſſandos, & abolendos fore, & eſſe, prout caſſamus, & abolemus, ac olim jure caſſatos, & abolitos fuiſſe declaramus; proptereaque moleſtationes, & perturbationes eidem Reverendiſſimo Patri Rodulphio illatas, & temerarias, & de facto præſumtas, illaſque minime fieri potuiſſe, nec poſſe: Fiſcoque, & prætenſis illi adhærentibus perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe, prout de facto imponimus, & dictis proceſſibus, aliiſque contra eundem Reverendiſſimum Patrem Rodulphium intentatis, nullum prorſus optimæ famæ, æſtimationi, atque honori præjudicium illatum fuiſſe declaramus. Et ita dicimus, pronunciamus, declaramus, & diffinitive ſententiamus, non ſolum præmiſſo, ſed omni alio meliori modo &c.*

Ita pronunciavi ego M. Epiſcopus Oſtienſis Card. Lantes.
Ita pronunciavi ego Fr. Card. Cenninus.
Ita pronunciavi ego B. Card. Spada.
Ita pronunciavi ego Fr. Card. Cornelius.

Ita pronunciavi ego M. A. Card. Franciottus.

VI. Hanc Cardinalium ſententiam ſervatis omnibus juris apicibus latam Innocentius X. Pontifex Maximus recognitam Decreto Pontificio anno ſequenti MDCXLVI. dato confirmavit, & ratam ab omnibus habendam declaravit. Quam acerba fuerat univerſo Prædicatorum Ordini Ridolfii e magiſtratu ejectio, tam læta, & jucunda fuit ſolemnis hæc ejus innocentiæ declaratio; ſed longe accrevit gaudium, cum mortuo anno MDCXLIX. Thoma Turco, qui ei ſuffectus fuerat, eum Innocentius X. proprio motu Vicarium Ordinis Generalem, durante interregno, conſtituit, ut ex ejus Diplomate conſtat dato eodem anno die IX. Decembris, legiturque Tomo VI. Dominicani Bullarii pag. 158. Pergratum quoque ſibi futurum dixit Pontifex, ut in proximis Comitiis ad regimen Ordinis reaſſumeretur Ridolfius, & in Magiſtratu reſtitueretur. Certe eo conſilio Vocales omnium Provinciarum Romam ſe contulerunt anno MDCL. utpote quem omnes ceu Virum omnibus animi, & corporis dotibus ornatum, a Deo ſibi ad regendum Ordinem datum venerabantur, & præterea ut Patrem amantiſſimum ſinguli colebant. Verum, cum ſic diſponerent homines, aliter Deus providebat, & Ridolfium ætatis annum LXXII. agentem æternitati maturum collegit die XXV. Maji anni MDCL. Vigilia Aſcenſionis, decem ante tempus electioni ſtatutum diebus. Tanti Viri cum laude meminere qui de Generalibus Ordinis Prædicatorum ſcripſere.

VII. Plures ſcripſit ad totum Ordinem Encyclicas Epiſtolas, unam e Capitulo ſuæ electionis, quæ extat in Capite Actorum, alteras aſceticas de morum reformatione, quarum quæ incipit, *Videte vocationem veſtram Fratres*, data Romæ die prima Januarii MDCXXXI. typis edita abſolutam Religionis formam exhibet. Sunt & aliæ plures ejuſdem generis, aliæ etiam de præclare geſtis in Ordine in variis Provinciis. Scripſit & in Novitiorum Ordinis commodum Italico ſermone Tractatum de methodo orationis mentalis faciendæ impreſſum Romæ apud Manelſum anno Chriſti MDCXLII. Teſte Fontana in ſuo Syllabo, pag. 159.

de

de communi Patrum Conventus S. Mariæ ſuper Minervam conſenſu, hoc poſitum fuit ad ejus tumulum Epitaphium in marmoreo Lapide exaratum, quod extat prope gradus Sacelli Sancto Thomæ Aquinati dicati, legiturque, ut a nobis refertur, corrupte enim ab aliis deſcriptum fuit.

D. O. M.
FRATRI NICOLAO RODVLPHO FLORENTINO
OCTAVII S. R. E. PRESB. CARDINALIS
AC LVDOVICI EPISCOPI PACTENSIS
GERMANO FRATRI
SACRI PALATII APOSTOLICI MAGRO
ORDINIS PRÆDICATORVM VICARIO
EIVSDEMQVE OMNIVM PP. CONSENSIONE
MAGISTRO GENERALI LV.
QVI SVB VRBANO VIII. PONT. MAXIMO
HONORIBVS AMPLISSIMIS AC VARIIS
GRAVIBVSQVE NEGOTIIS PRO ORDINE GESTIS
XV. ANNIS INTEGERRIME PBÆFVIT
PRINCIPIBVS CARVS BONIS GRATVS
LIVIDA ÆMVLORVM DEINDE OFFENS. DICACITATE
EXCELSO AC FORTI ANIMO VIOLENTA EORVM TELA
SANCTA PEPELLIT PATIENTIA. SACROS PASCES
TVNC VLTRO SIBI OBLATOS DETRAXIT
CVIUS PROBITAS ATQVE INNOCENTIA EO MAGIS
INTELLIGI AC SVSPICI POTEST QVO MAGIS
ÆQVO IVDICIO QVINQVE S. R. E. CARDD. DENVDATA
AB INNOCENTIO X. PONT. MAXIMO COMPROBATA EST
CVM POST SEPTENNIVM EXTINCTO THOMA TVRCO
SVCCESSORE. INAVDITO PLANE EXEMPLO PRÆSES
GENERALIS INSTITVTVS FVISSET
DEMV INSTANTIBVS COMITIIS VNICO CVM OMNIVM ORE
ITERVM AD SVMMVM REVOCARETVR FASTIGIVM
GLORIA CVMVLATVS
ORDINI PATRIÆ BONISQVE OMNIBVS ABLATVS
ANNO SAL. M. D. CL.
VIII. KAL. IVNII AET. SVÆ LXXII.
FF. CONV. S. M. S. M. PARENTI OPT. M. M. POSVERVNT.

CAP.

Digitized by Google

C A P. LIV.

De F. Nicolao Riccardi.

I. VAcante anno MDCXXIX. Sacri Palatii Magiſterio per aſſumtionem Nicolai Ridolfii ad ſupremum Ordinis Magiſterium, ab Urbano VIII. in illius locum ſuffectus fuit in Vigilia Pentecoſtes, quæ eo anno in diem 11. Junii incidit, F. Nicolaus Riccardi in Minervitano Conventu jam pluribus annis Studiorum Regens. Cum enim, ut tradit Fontana in Syllabo pag. 161. prædictis anno & die Magiſter Ordinis ex Magiſtro Sacri Palatii electus Ridolfius cum univerſo electorum cœtu ad oſcula pedum Summi Pontificis admitteretur, ſuoque ordine acceſſiſſet Riccardius, hunc ſtatim Urbanus VIII. coram omnibus, nec ſine laude Ridolfio ſuffecit, & Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum declaravit, plaudente ad eximium delectum Urbe.

II. Natus eſt Riccardius, ut docet Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCXXIX. pag. 503. Januæ anno MDLXXXV. honeſtis clariſque parentibus, corporis mole pinguior, & obeſus, ob idque paulo deformior, ſed ingenio a natura præſtantiſſimo dotatus ætatis ſuæ miraculum fuit. Is a puero litteris deditus, jam tum Librorum helluo erat, tenaciſſima ſimul, feliciſſimaque memoria præditus. In Hiſpaniam miſſus a parentibus, in Academia Pinciana Scholas frequentabat humanitatis, cum vocante Deo adoleſcens Ordinem Prædicatorum amplexus eſt ibidem in S. Pauli Conventu, ubi ſtudium Philoſophicum & Theologicum percurrit. Tanta vero ejus fuit ob ingenii feracitatem, ubertatem doctrinæ, dicendique facundiam, apud omnes exiſtimatio, ut mox non ſolum ad tradendas, quas perceperat, aliis diſciplinas adhibitus (jam enim anno Domini MDCXIII. primariam S. Thomæ Cathedram obtinuerat) ſed ad celebriores ſacri pulpiti actiones, quaſi certatim accitus fuerit. Ferunt, cum prima vice coram Hiſpaniarum Rege Catholico Philippo III. concionaretur, miratum Regem tantam divinarum humanarumque rerum abun-

abundantiam, ſummo tamen cum judicio, nec inferiori elegantia depromptam, *Monſtrum* eum appellaſſe, quod nomen ei deinceps adhæſit, adeo ut cumRomam veniſſet, & non ita multo poſt venit, potiſsimamque vitæ partem commoratus eſt, paſſim luſtrali, gentilique ſuppreſſo nomine, hoc uno, *il Padre Moſtro* vulgo diceretur, ac notus eſſet. Sed & illud ſapientia ſua, eloquentia, in agendis dexteritate, honeſtate morum, quandiu vixit, egregie tutatus eſt, ut nemo unquam fuerit Sacro Collegio, Summoque Pontifici Urbano VIII. acceptior. Theologiam anno Domini MDCXXI. & pluribus ſequentibus in Minervitano Cœnobio primarius Regens docuit cum ingenti concurſu, ac plauſu, ex eoque munere, ut dictum eſt, Sacri Palatii Magiſter ab Urbano VIII. qui Riccardium ſummopere diligebat, creatus eſt die 11. Junii anni MDCXXIX.

III. Magiſterio Sacri Palatii decoratus Riccardius, ab eodem Urbano VIII. Concionator Apoſtolicus delectus eſt, quæ duo munera, magna omnium æſtimatione ad mortem uſque implevit. De quo ſic ad Leonem Allatium Ferdinandus Carolus ſcribebat anno MDCXXXI. vel XXXII. *Audivimus heſterna die Pontificii Palatii Magiſtrum Nicolaum Riccbardium egregium Familiæ Dominicanæ decus in Quirinali de noſtrorum animorum immortalitate dicentem, nec aderas doctiſſime Leo, qui nunquam ſoles abeſſe, cum arcana ſacrorum aureum illud eloquentiæ flumen evolvit. Te diu fruſtra quæſivimus, & utinam adfuiſſes. Periclem ſuum Athenis fortaſſe minus invideres, ſic tonare, fulminare, totamque Urbem de ſublimi concutere noſter ille videbatur, qui ſemper admirandus, ſe tamen ipſum copioſo, graviſſimoque ſermone ſuperavit. Omnes quotquot adfuimus, liqueſcere coegit in lacrymas. Viro quidem ſemper eſt ſolemne, veterum Patrum ſententias promere, Græcorum excutere ſapientiam, divinorum ſcriptorum abdita rimari, locos argumentorum omnes exhaurire, nec quicquam opportunum cauſæ prætermittere; ſed ita violenter dominari mentibus, & ad nutum, quo libuiſſet, impellere, hoc nunquam expertis vere nobis Monſtrum fuit, ſed ama-*

amabile. Scis enim, quam ſit impatiens jugi mortale genus, nos autem neſcio quopacto volentes capti ſumus, & triumphanti, noſtroque victori plauſimus. Te ne diutius amicorum tuorum gaudiis invideas, proximæ Concioni cura diligenter interſis. Vale. Hactenus ille, ſed legendus Allatius in Apibus Urbanis, ubi ex Gilberti Jonini Odarum Libro iv. Oden xiii. profert in laudem immenſæ eloquentiæ & doctrinæ Riccardii. Legendi & alii Scriptores, quos citato loco Echard recenſet, ubi etiam longum Operum ejus Catalogum deſcribit. Contemnendus itaque Petrus a Valle Clauſa, ſeu Theophilus Raynaudus, qui in ſua Diatriba, ſeu potius libello famoſo, *De immunitate Cyriacorum*, quem contra Dominicanos ſcripſit, perperam inter alios Riccardium, ejuſque conciones ſugillavit, quem tamen egregie vindicavit doctiſſimus Vincentius Baronius Lib. II. ſui Apologetici, Sectione 1. §. ultimo, & alibi.

IV. Tandem Riccardius Romæ robuſta adhuc ætate annorum vix quinquaginta quatuor natus apoplexia correptus die xxx. Maji anni mdcxxxix. diem extremum clauſit ſummo ſuorum, Aulæque Romanæ mœrore, ſepultuſque ad Minervam fuit, nullo ei pro Viri dignitate erecto Cenotaphio. Teſte Fontana in Syllabo pag. 162. in Riccardii laudem funebrem Orationem habuit Melchior Jnchofer Societatis Jeſu Vir eruditiſſimus, ſuamque Orationem hac obſervatione clauſit, Nicolai Riccardii mortem, ſplendidiſſimique Romanæ aulæ luminis extinctionem, ſolem oculum mundi luxiſſe, ac eclypſim patiendo, quæ ea die contigit, atratum defuncto parentaſſe: *Hoc unum dixiſſe ſufficiat: Quo die Nicolaum Riccardium funeravimus, oculum mundi deliquium lucis ſuæ luxiſſe atratum*.

CAP. LV.

De F. Vincentio Maculano, poſtea S. R. E. Cardinale.

I. Nicolao Riccardio Sacri Palatii Magiſtro e vivis erepto anno mdcxxxix. in ejus locum mox ſuffectus, & al-

& allectus eſt ab Urbano VIII. F. Vincentius Maculanus de Florentiola, natus anno MDLXXVIII. Adoleſcens ſexdecim annorum Papiæ Ordinis Dominicani habitum induit, taliſque evaſit, ut per gradus omnes continuo meritorum incremento ſupremos tandem, ipſumque eminentiſsimi Cardinalatus gradum aſcenderit. Poſt multiplex enim in Provincia ſua Lombardiæ, ſeu Scholarum Philoſophiæ, & Theologiæ, ſeu Conventuum regimen, poſt Sacrum Tribunal Papiæ primum, tum Januæ ab anno MDCXXVII. menſe Novembri ad MDCXXIX. menſem Decembrem ſapienter & ſtrenue adminiſtratum, Romam exinde ab Urbano VIII. vocatus, ut tradit Fontana in Syllabo pag. 163. Procurator Ordinis in Romana Curia ab eodem Pontifice inſtitutus, & a Magiſtro Generali Nicolao Ridolfio viſitationem Ordinis aggreſſo Vicarius Generalis renunciatus, tum & a laudato Urbano Papa VIII. anno MDCXXXII. Sancti Officii Commiſſarius, ex eo munere ad Magiſterium Sacri Palatii translatus fuit, in Nicolai Riccardii ſcilicet locum ſuffectus, anno, uti dictum eſt, MDCXXXIX. & anno tandem MDCXLI. die XVI. Decembris ex Sacri Palatii Magiſtro ab eodem Urbano creatus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli S. Clementis, & Archiepiſcopus Beneventanus, uti inter alios docet Bremond, Tomo VI. Bullarii Dominicani in appendice ad Conſtitutiones Urbani VIII. pag. 137. & 138.

II. Quis, & qualis fuerit in ea dignitate Maculanus, docet in ſuo citato Syllabo Fontana, qui de eo adhuc vivente ita ſcribit: *In qua dignitate conſtitutus, erga Ordinem maximo affectus amore, ejuſdem Conſtitutiones in victu, & veſtitu, lanea tunicella ad carnem ſemper uſus adamuſſim obſervat; eidemque haud vulgaria beneficia in dies conferre non deſiſtit. Ad commiſſam ſibi Eccleſiam celeri pede Paſtoris Optimi munia complecturus properavit, in qua, lætitiæ ſingularis exhibitis ſignis, ab ovibus ſuis fuit receptus. Ibi primævæ Eccleſiæ Epiſcoporum virtutes æmulatus, ſe bonorum operum exemplum cunctis exhibuit.* Eccleſiam ubi vere bonus Paſtor ſeſquiannum circiter rexiſſet, cum ejus præſentia carere non poſſet Summus Ponti-

Digitized by Google

ſex, abdicare maluit, quam alienis paſcendas oves committere. Illa ergo menſe Majo anni MDCXLIII. relicta, Romam reverſus, ſua Pontifici ad ejus mortem, quæ die XXIX. Julii anni MDCXLIV. accidit, exhibere perſequutus eſt obſequia. Teſte Fontana, *in nobili archictecturæ ſcientia peregregie excultus, ab Urbano VIII. in Inſulam Melitenſem directus fuit, ut illius Arces, ad eludendos Turcarum impetus, in meliorem, tutioremque formam reduceret, idemque in Romana Hadriani Mole, atque in Urbana Arce Bononienſis Ditionis, necnon in Urbis novis menibus feliciter præſtitit*. Tum vero & hæc addit: *Vivit adhuc optimus Cardinalis hoc anno* MDCLXIII. *quo hæc ſcriblmus, in ætate LXXXIV. annorum conſtitutus*.

III. Ad ſeros annos pervenit Maculanus, duorumque Pontificum, Innocentii X. & Alexandri VII. electioni adfuit. Tantam vero eximiis virtutibus apud omnes, ac ipſum præſertim Purpuratorum Patrum Collegium fecerat exiſtimationem ſui, ut parum abfuerit, quin in Conclavi poſt Urbani VIII. obitum, Summus ipſe Pontifex acclamaretur, cujus & per Orbem Chriſtianum publica extitit fama, ut teſtatur Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCLXVI. pag. *623*. Porro Alexandri VII. obitum ſuo quibuſdam menſibus prævertit Maculanus, defunctus die XV. Februarii anni MDCLXVII. ætatis menſem quintum, ac dies quatuor ſupra octogeſimum octavum numerans, fuitque apud S. Sabinam ſepultus, celebrato prius funere in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam. Dicemus nos iterum de hoc Cardinali, & quidem fuſius in Opere noſtro, quod quantocius daturi ſumus in lucem, nempe de Summis Pontificibus, & S. R. E. Cardinalibus ex Ordine Prædicatorum aſſumtis una cum eorum imaginibus ære inciſis. Sed lubet in calce hujus Capitis Epitaphium deſcribere, quod non ita pridem a Viro Clariſſimo Vincentio Maculano laudati Cardinalis pronepote ex fratre poſitum fuit in medio majoris navis pervetuſtæ, ac celeberrimæ Eccleſiæ S. Sabinæ Fratrum Ordinis Prædicatorum, ubi fuit ſepultus, eſtque hujuſmodi.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
F. VINCENTIO MACVLANI E IVLIA FIDENTIA
ORDINIS PRÆDICATORVM
S. R. E. CARDINALI TITVLI S. CLEMENTIS
ARCHIEP. BENEVENTANO
DOCTRINA PIETATE MVNIFICENTIA CLARO
QVI
TOTIVS ORD. PROCVRATOR AC VIC. GENERALIS
S. INQVISITIONIS COMMISSARIVS
APOSTOLICI PALATII MAGISTER
AB VRBANO VIII. P. M. PVRPVRA INSIGNITVS
ARCHITECTVRA MILITARI PRÆSTANS
MOLEM HADRIANAM VATICANVM IANICVLVM
ARCEM VRBANAM PROPE BONONIAM
MVLTAS IN ÆMILIA VRBES
ET MELITAM MVNIVIT
INNOCENTIVM . X. P. M
DE PRAVA IANSENII YPRENSIS EPISC.
DOCTRINA DELIBERANTEM
CONSILIO ET OPERA STRENVE IVVIT
OBIIT ROMÆ DIE XV. FEB. MDCLXVII
ÆT. LXXXIX.
VINCENTIVS MACVLANI FRATRIS PRONEPOS
CINERIBVS EX HVMILI LOCO TRANSLATIS
ANNO MDCCXLIV.
M. P.

CAP. LVI.

De F. Gregorio Donato.

I. VIncentio Maculano die XXVI. menſis Decembris anni MDCXLI. ad Cardinalatum ab Urbano VIII. Pontifice aſſumpto, ab eodem Urbano creatus fuit Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Fr. Gregorius Donatus Romanus. Adoleſcens optimæ indolis Sacro Prædicatorum Ordini nomen dedit Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſuper Mi-

 ner-

nervam, in quo pietati, & ſtudio ita incubuit totus, ut inter æquales non parum excelluerit; fuitque primum ſtudentium Magiſter, deinde Baccalaureus, aliiſque ſubinde magna cum laude functus in ſuo Ordine Scholæ, atque regiminis prærogativis. Romanæ Provinciæ ſuæ Vicarius factus, ac inde Provinciæ Regni Neapolitani Prior Provincialis, ſumma cum integritate, atque prudentia ſuos ſubditos rexit. Ad Comitia generalia anno MDCXXIX. Romæ celebrata acceſſit, unuſque ex Nicolai Ridolfii Generalis Magiſtri Ordinis renunciati Electoribus fuit. At mox peractis memoratis Comitiis, Donatus ipſe, ſponte dimiſſis honoribus, atque onere, Romæ hæſit. Tum Urbano VIII. Pontifice Maximo volente, Epiſcoporum examini deputatus eſt, ac demum Vincentio Maculano ex Magiſtro Sacri Palatii ad Cardinalatum, ut dictum eſt, evecto, in ejus locum ſuffectus Donatus, dignitatem Magiſtri Sacri Palatii ſumma cum laude geſſit, ſed quinque dumtaxat menſibus, & his etiam non completis, ut teſtatur Fontana in ſuo Syllabo, pag. *165.* obiitque die XVI. menſis Maji anno Chriſti MDCXLII. ætatis vero ſuæ LXIII. & ſepultus in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam, ubi extat Elogium, ejus ſepulcro a Patritio Donato Minorenſi Epiſcopo germano illius fratre appoſitum, quod quidem marmoreo lapidi inciſum legitur prope gradus Sacelli S. Hyacintho dicati, quodque nos inferius referemus, prout oculis noſtris diligenter legimus, manuque noſtra deſcripſimus; non enim recte a Fontana refertur. Porro teſte eodem Fontana citato loco pag. *166.* auctor fuit Donatus, ut in lucem prodiret S. Thomæ Summa in XII. parvos Tomos diſtincta, Romæque impreſſa, & ab eodem correcta, quæ communi nomine Donati Summa nuncupatur. Compoſuit plures in laudem S. Thomæ ſermones in ſolemni ejuſdem S. Doctoris Feſto coram Eminentiſſimorum Cardinalium Collegio in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam a pluribus de more ibidem quotannis haberi ſolitis. Quod tandem Epitaphium ſpectat Gregorio Donato ab ejus fratre appoſitum, eſt illud quidem hujus tenoris.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
FRATRI GREGORIO . DONATO . ROMANO
SACRI APOSTOLICI PALATII MAGISTRO
ORD. PRAEDICATORVM
HVC. VECTIGALES . MORTALIVM OCVLI
GREGORIVM . E . COELO . DONATVM . COELO REDDITVM
LVGETE
ACERBVS AEVO MATVRVS INGENIO
COLLECTANEM . HABVIT . SAPIENTIAM
NATVRAM INGENIO INGENIVM VIRTVTE
VICIT.
NONDVM ADVLTVS IAM MAGISTER PLVS DOCVIT QVAM DIDICIT.
PRÆCEPTIS EXEMPLO
ſic VIRTQVE PAR FORTVNÆ
VTRAMQVE PROVOCAVIT VICIT
DIGNITATVM GRADVS ONNES MERITVS ASCENDIT
NVLLIVS CANDIDATVS
REXIT ALIOS VT SE . IPSVM
SE IPSVM VT ALIOS
OCVLATA . MENTE . CAECA MANV
TALEM VIRVM MAGISTRVM ORBIS NOMINAVIT
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
HINC MERITA METIRE
VIXIT ANNIS LXIII. OBIIT ANNO M. DCXLII. MENSE . MAIO
DIE . DECIMASEXTA . HORA . XXII.
PATRICIVS . DONATVS . EPISC. MINOREN. FRATER . FRATRI
MONVMENTVM . HOC
P.

CAP. LVII.

De F. Reginaldo Lucarino, poſtea Civitatis Plebis Epiſcopo.

I. POſt Gregorii Donati obitum ſuffectus eſt in ejus locum anno MDCXLII. ab Urbano VIII. F. Reginaldus Lucarinus de Trebio, Cœnobii S. Mariæ ſuper Minervam alumnus; emenſoque Studiorum curſu, lectiſque in Scholis

1642
63
1579

Digitized by Google

lis Philoſophia & Theologia, Laurea Magiſterii donatus eſt in Comitiis Provincialibus Viterbii in Conventu Gradenſi anno MDCXXXVIII. celebratis. Mox Prior Minervitani Conventus communi Patrum conſenſu electus, nondum tranſacto anno officium dimiſit, propriæ quieti & ſtudiis Sacrorum Librorum intentus, ut ſcribit Fontana in ſuo Syllabo pag. 167. Ad Magiſterium Sacri Palatii ab Urbano VIII. evectus menſe Majo prædicti anni MDCXLII. eamdem Religioſam vivendi normam, quam in Ordinis ingreſſu ſibi præfixerat, retinuit. Exinde vero die IX. Februarii ſequentis anni MDCXLIII. Civitatis Plebis Epiſcopus creatus ab ipſo Urbano VIII. primævæ Eccleſiæ Præſules æmulatus, paſtorali ſollicitudine, & effuſiſsima in pauperes charitate, iis non ſolum reditus Menſæ Epiſcopalis, ſed & paternos non exiguos ad ipſum hæreditario jure pertinentes diſtribuens, dum vix neceſſaria ſibi permitteret, Eccleſiam ſibi commiſſam ad annum uſque MDCLXX. rexit.

II. Sed audiamus quid de Lucarino adhuc vivente, ac de ejus pietate eximia ſcripſit Fontana in citato Syllabo, pag. 168. *Cathedralem ſuam*, inquit, *inſtauravit*, *ſacra ſupellectili*, *argenteis vaſis*, *ſacris Calicibus*, *aliiſque ad Sacrificium incruentum peragendum opportunis inſtrumentis ditavit*. Tum vero mox: *Gregem ſibi commiſſum cum Clero juxta Sacrorum Canonum documenta per ſalutis ſemitam dirigere non ceſſat*, *factus ipſe cunctis virtutum omnium exemplar*, *infirmos viſitando*, *pupillos*, *orphanos*, *viduaſque juvando*, *atque pauperum miſerias larga manu ſublevando*. Enarrat tandem ejus liberalitatem erga Ordinem ſuum: *Conventui noſtro S. Dominici de Trebio ex patrimonialibus bonis ad duodecim millia ſcutorum legari voluit*, *aliaque in dies beneficia Ordini conferre non deſiſtit. Hoc anno MDCLXIII. quo hæc ſcribimus*, *in ſua Eccleſia vivit verus Iſraelita*, *in quo dolus non eſt*. Vixit uſque ad annum MDCLXXI. quo Religioſiſſimus Præſul ad Superos evolavit die X. Octobris, uti notavit Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCLXXI. pag. 641. ubi varia ejus Opera edita, ac mſs. recenſet.

CAP.

Digitized by Google

C A P. LVIII.

De F. Michaele Mazarini, poſtea Archiepiſcopo Aquenſi, & deinde S. R. E. Cardinali.

I. SUcceſsit in Lucarini locum ab Urbano VIII. anno MDCXLIII. inſtitutus Magiſter Sacri Palatii F. Michael Mazarinus Romanus Petri ex Hortenſia Buſalina de Civitate Caſtelli filius, in Baptiſmo Alexander dictus, Julii Cardinalis Mazarini germanus frater, natu minor. Adoleſcens, teſte Fontana in Syllabo pag. 169. Sacro Prædicatorum Ordini in Cœnobio Romano S. Mariæ ſuper Minervam ſe addixit, atque relicto Alexandri, Michaelis nomen aſſumſit. Bononiæ Theologiæ Studium ſub F. Thoma Turco Academiæ illius tunc temporis Regente, poſtea Ordinis Magiſtro, felicisſime confecit. Philoſophiam publice Romæ in prædicto Minervitano Conventu profeſſus eſt; inde Venetias pro arduis negotiis ſui Ordinis Commiſſarius a Nicolao Ridolfio Magiſtro Ordinis directus fuit. Rebus ad optatum finem perductis, Apuliæ primum, tum Romanæ Provinciæ Prior Provincialis ſalutatus fuit anno Chriſti MDCXXXVIII. eoque munere fungebatur, cum in Capitulo generali Januæ celebrato anno MDCXLII. a nonnullis electus fuit generalis Ordinis Magiſter, electo ab aliis in Generalem prædicti Ordinis in Capitulo, quod eodem ferme tempore Corniliani celebrabatur, Fr. Thoma Rocamora, uti conſtat ex Litteris Urbani Papæ VIII. datis prædicto anno die IX. Decembris, & relatis Tomo VI. Bullarii Dominicani pag. 117. & 118. in quibus electiones, & acta generalis Capituli Januæ, & Corniliani reſcidit. Extant in eodem Bullarii Tomo pag. 123. & aliæ Urbani VIII. Papæ Litteræ datæ anno MDCXLIII. die XX. Martii, in quibus electiones ipſæ Mazarini, & Rocamoræ nullæ prorſus & invalidæ declarantur.

II. Cæterum evecto ad Epiſcopatum Civitatis Plebis Lucarino Apoſtolici Palatii Magiſtro, & quidem anno ipſo MDCXLIII. ſublegit mox Urbanus in ejus locum Mazarinum, qui

qui ei muneri duobus annis completis præfuit, & ſub Innocentio X. Urbani Succeſſore anno MDCXLV. Aquenſis Archiepiſcopus creatus eſt, Epiſcopali charactere Romæ ſuſcepto in Cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam per manum Hieronymi Cardinalis Grimaldi, aſſiſtentibus Ranutio Scoto Epiſcopo Burgi S. Domnini, & Alphonſo Sacrato Epiſcopo olim Comaclenſi almæ Urbis Viceſgerente, menſe Julio MDCXLV. acceptoque Pallio in Galliam profectus, die XXX. Octobris ejuſdem anni ad Eccleſiam ſuam pervenit, communi omnium acclamatione receptus. Biennio peracto ad Urbem reverſus, ab ipſo Innocentio in Galliarum, & Poloniæ Regum gratiam die VIII. menſis Octobris anni MDCXLVII. creatus eſt S. R. E. Cardinalis Tituli S. Cæciliæ, dictuſque eſt Cardinalis S. Cæciliæ, ut videre eſt apud Ciaconium Tomo IV. col. 679. & Fontanam loco citato.

III. A Rege Galliæ Prorex Catalauniæ inſtitutus, Barchinonam ex Urbe menſe Januarii anni MDCXLVIII. diſcedens petiit, ibique uſque ad Julii menſem ejuſdem anni præfuit. Romam Regius Orator reverſus menſe Auguſti, ex aeris mutatione in gravem incidit morbum, ex quo illico ſe mortalem agnovit. Abdicatis igitur ſtatim mundanis curis, ſoliſque cæleſtibus addictus, poſt generalem totius ante actæ vitæ expiationem, accerſito Thoma Turco Generali Magiſtro, atque ab eo, ſicut & ab univerſis Ordinis Fratribus, ut apud Dominicanos moris eſt, venia poſtulata, benedictioneque obtenta, Annulo valoris ſcutorum trium millium Conventui Minervitano, nobilioriqne ſupellectile Aquenſi Eccleſiæ legatis, electa ad pedes Fratrum ſuorum ſepultura, die XXXI. Auguſti prædicti anni MDCXLVIII. ætatis ſuæ XLIII. hora tertia poſt ſolis occaſum, adſtantibus ſui Ordinis plurimis Religioſis Viris, animam exhalavit. Juſta facta non vulgari pompa in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam, ibique in medio Chori ſepultus fuit, hoc ei in marmoreo lapide elogio appoſito, quod recenſet doctiſsimus Bremond Tomo VI. Bullarii Dominicani pag. 174. Sed eſt hujuſmodi, ſicut nos, ut de aliis pluribus diximus, noſtris oculis legimus, & manu deſcripſimus.

V. T. D.

Digitized by Google

V. T. D.
FR. MICHAELI MAZARINO
ORDINIS PRAEDICATOR.
APVLO ROMANOQ. PROVINCIALI
SACRI PALATII MAGISTRO
AQVENSI ARCHIEPISCOPO
S. R. E.
CARDINALI TIT. S. COECILIAE
CATALONIAE PROREGI
A LVDOVICO XIV. GALLIAE REGE
AD INNOCENTIVM X. PONT. MAX.
ORATORI ELECTO
IMMATVRA MORTE SVBLATO
KAL. SEPTEMB. AN. MDCXLVIII.
AETATIS SVAE XXXXIII.
ERATRES S. M. S. MINERVAM
FRATRI BENEFACTORI AMANTISS
POS.

Teſte eodem Fontana pag. 172. fuit Michael Mazarinus ſumma benignitate, ac liberalitate præditus, erga ſuum Prædicatorum Ordinem incredibili amore affectus, quippe qui in tantis honoribus conſtitutus, de hoc uno gloriabatur, ſcilicet Dominicani Inſtituti fuiſſe Profeſſorem.

CAP. LIX.

De F. Vincentio Candido.

I. MAzarino ad Archiepiſcopatum Aquenſem evecto, Innocentius Papa X. eodem anno MDCXLV. Magiſtrum Sacri Palatii inſtituit F. Vincentium Candidum Siculum Syracuſanum, nobili loco natum anno MDLXXII. die 11. Februarii. Adoleſcens hic Romam profectus, litteriſque humanioribus imbutus, Prædicatorum Ordini in Cœnobio Minervitano nomen dedit anno MDXCIII. & ſequenti ſolemniter profeſſus eſt. Qui a puero ob vitæ innocentiam veluti Sanctus habebatur, in Religione ob inculpatos mo-

res, & ſeveriorem Conſtitutionum obſervationem, omnibus admirationi fuit, & amori. Sed nec minus doctrina, in agendis dexteritate, & prudentia claruit, ideoque ſemel, iterum, ac tertio in ſuo Minervitano Cœnobio in Priorem electus eſt. Præfectum quoque Provincialem Siciliæ bis, ſemel Apuliæ, ac ſemel etiam Romæ egit, totuſque in Regulari obſervantia promovenda eluxit. Apoſtolicus Ordinis Vicarius ſemel ac iterum, vacante ſupremo Magiſtratu, annis MDCXLIII. & MDCLIX. & in Baſilica Liberiana quæ S. Mariæ Majoris communi nomine nuncupatur, per viginti & ſupra annos Papæ Pœnitentiarius extitit, ut tradit Fontana in Syllabo, pag. 173. ubi etiam ait, ſe a Candidi manibus in Cœnobio Minervitano Religionis habitum nomenque ſuſcepiſſe die XV. Octobris anni MDCXXVIII. Munere Pœnitentiarii in prædicta Liberiana Baſilica functum fuiſſe Candidum, teſtatur etiam Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCLIV. pag. 580. ſed variat tamen in annorum numero relato a Fontana: *Pænitentiarius Apoſtolicus*, inquit, *ad S. Mariam Majorem poſitus ſeptima Octobris MDCXVII. hoc munere functus eſt annis circiter quatuordecim, variis tamen vicibus, dum interea ad varia regiminis munera eligeretur, vel a ſummo Pontifice auctoritate Apoſtolica vocaretur.*

II. Porro anno MDCXLV. ab Innocentio X. quicum a puero familiariter creverat, & cui ob eximias dotes mirum acceptus erat, ac ſæpius etiam laudatus, Sacri Palatii Magiſter allectus, munus hoc ſumma omnium approbatione implevit, atque egregie tutatus eſt ad annum uſque MDCLIV. quo plenus annis, & meritis, quartana febre conſumtus vitam hanc mortalem cum immortali commutavit die VII. Novembris, *relicto cunctis*, teſte Fontana, *ſanctitatis odore; ad cujus funus maximus populi, & Principum concurſus, ejus veſtium particulas pro magno munere efflagitantium acceſſit; cujus corpus in noſtra Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Minervam in Sacello S. Raymundi ad Altaris dextram in plumbea capſa ſupra terram conditum fuit.* Ita Fontana loco citato, ubi etiam encyclicam Ge-

ne-

Digitized by Google

neralis Magiſtri Ordinis Patris F. Joannis Baptiſtæ de Marinis, qui hujus illuſtris Viri mortem omnibus Provinciis nunciavit, Epiſtolam deſcripſit, & eſt hujuſmodi.

Univerſis Fratribus Ordinis Prædicatorum
F. Joannes Baptiſta de Marinis Sacræ Theologiæ Profeſſor, & ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus Salutem, & pacem in Domino.

Communia mala communibus proſequenda lacrymis. Et quamvis dolor, quem hiſce diebus concepimus, ejus ſit acerbitatis, & molis, ut etiam in vos, totumque Ordinem diſtributus, ſuum apud nos pondus retineat; ad illius, Ordiniſque tamen ſolatium non parum faciet publicus Ordinis luctus, publicaque veſtrum, & privata pietas.

Septima igitur hujus menſis dies, quæ & Sabbatum fuit, quinta circiter noctis hora ad requiem, & perpetuæ lucis diem emiſit ſuaviſſimum, piiſſimum noſtrum Senem, Venerabilem P. Fr. Vincentium Candidum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtrum, re, & opere tam Vincentium, Candidum, & Magiſtrum, quam nomine, & officio. Sat, ſuperque ad illius pretium, ad veſtrum dolorem nimis, & ſi ad noſtram in eum charitatem parum diximus, dum nominavimus; cujus nota, chara, laudataque omnibus nedum vobis pietas, innocentia, humilitas, eruditio, prudentia, zelus, ſanctitas, vel a Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Papa Decimo meruit amari, & palam ſæpius commendari; qui octogenario major, jam a puero maximæ expectationis, & laudis, ſexaginta & unum annos in Ordine perſancte non tam vixit, quam luxit, & arſit; qui interim ad varia Ordinis per varios virtutum gradus aſſumptus officia, ter Prior Conventus Romani Sanctæ Mariæ ſuper Minervam; quater variis in Provinciis, Sicula, Apula, Romana Provincialis; ter Summi Pontificis juſſu Vicarius Generalis Ordinis; ſui ſemper ſimilis, ac totius obſervantiæ vera factus effigies, Religionem non minoribus ditavit exemplis, quam documentis, profundæ, quam editi monſtrant Libri, eruditioni profundiorem humilitatem, ſanguinis nobilitati virgineam puritatem, publicis

Digitized by Google

occupationibus juge orationis, pœnitentiæ, charitatis otium ſtudiumque raro felicique jungens commercio, vere dives, quia vere pauper; tandem in tot, tantarumque complexu virtutum, has inter laudes, hæc inter merita, ut vixerat, mortuus eſt noſtris dignior elogiis, quam lacrymis, ni noſter foret, & imitatum mallemus, quam laudatum.

Unde nihil aliud noſtro licet, ſupereſtque dolori, quod addamus epitymbium, niſi ut vos ad ſuprema debitaque tantæ pietatis Viro fraternæ charitatis officia, ad devota ſcilicet pro illius anima ſuffragia publica, & privata invitemus. Etſi enim attenta Angelica mortalis ejus vitæ ſerie, quæ pretioſam gloriæ, atque hiſtoriæ materiam dabit, neutiquam dubitemus, Candidum noſtrum jam inter candidos Angelorum Choros felicem, nedum felicitatis Candidatum; nihilominus, ut pie monet Auguſtinus, melius iſta illi ſupererunt, quæ non obſunt, quam deerunt, quæ prodeſſe poſſunt: voſque demum hoc in exemplari, quod vobis in hoc perfectionis monte monſtratum eſt, vitæ Religioſæ compendium intuentes, totque virtutis veſtigia agnoſcentes, ea ut ſequamini, & ametis, hortemur. Satis enim illum laudaverimus, ſi imitemur; ut dum in eo humanitatis noſtræ vulnera ſentimus, ab eodem immortalitatis remedia mutuemur. Valete, & pro nobis orate. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam pridie Id. Novemb. anno Domini MDCLIV.

IV. Licet vero ſumma fuerit opinio apud omnes de eruditione, & probitate hujus Magiſtri Sacri Palatii Vincentii Candidi, ei tamen minime pepercit Raynaudus, ubi turpi, apertoque mendacio ait, eum primum eorum eſſe, qui librum, aut theſim, neque enim explicat, probarunt de ſpeciebus Euchariſtiæ evanidis, quales ſunt coloris Iridis. Digna plane notatu eſt ejus rei hiſtoria, quam ita narrat in ſuo Apologetico Vincentius Baronius Lib. 1. Sectione 1. pag. 33. Illius opinionis de ſpeciebus Euchariſtiæ, cujus invidiam in Candidum totam derivat, verus & primus Auctor (quem ipſe vocat Bardum per convitium) fuit vere unus e Societate Siculus Franciſcus Bardus nomine, qui

qui hanc opinionem docuit opuſculo ſcripto, ſed cum illius edendi licentiam non poſſet a Prælatis obtinere, illud publici juris fecit nomine cujuſdam idiotæ Joannis Baptiſtæ Chiavetæ, & ex Auctore ſui Libri factus Cenſor, illum probavit, & tredecim aliorum diverſi Ordinis Theologorum curavit ſuffragiis muniri. Horum præter Bardum, erant e Societate tres, duo Magiſtri Ordinis Prædicatorum, quorum primus erat Joſephus Caruſo, alter vero Joannes Vincentius Candia.

V. Hæc eſt ejus rei hiſtoria, quam tamen, ut pio æque ac docto Viro Vincentio Candido Sacri Palatii Magiſtro calumniam inſtruat, Raynaudus perperam invertit, Parum ei fuit, inter Libri Cenſores, qui approbarunt, primum appoſuiſſe Vincentium Candidum, cum eo loco fuerit Joſephus Caruſo, & omiſiſſe Societatis ſuæ Theologos, qui Librum quoque approbarunt; voluit etiam ſupremum Dei jus ſibi arrogare quidvis in quolibet mutandi, & rerum ſtatus, nomina ad arbitrium invertendi, atque ita Joannem Vincentium Candia ex Provincia Siciliæ Theologum, mutavit in Vincentium Candidum Sacri Palatii Magiſtrum, ut iſtum erroris accuſaret, cujus auctor erat unus e Societate Theologus, & tres ex eadem Societate probaverant. Vide laudatum Baronium in citato Apologetico, ubi hiſtoriam ipſam fuſius deſcribit.

VI. De Candidi Operibus ut aliquid tandem dicamus, ſcripſit, teſte Fontana, Diſquiſitiones Morales in quatuor Libros ſectas, Romæ, & alibi pluries impreſſas; itemque de Primatu S. Petri Opus, quod Innocentio X. dicavit. Scripſit & alia, quæ mss. extant, eorumque meminit Echard citato loco. Theophili Raynaudi ſcommata in Fr. Candidum conjecta, retundit egregie Vincentius Baronius Lib. IV. Apologetici. Fatendum vero, in ſuis Diſquiſitionibus moralibus Candidum juxta ſui ævi abuſum laxioribus quibuſdam opinionibus ſuffragatum. Sed laudandus ſummopere Ordo Prædicatorum, qui nunquam propugnat peculiares alumnorum ſuorum ſententias, ubi eas non videt ſolidæ, ac probatæ doctrinæ adhærentes; teſtaturque

Echard

Digitized by Google

Echard loco recitato, ſe audiviſſe *a Magiſtro Ordinis Fr. Thoma Turco non probatum, imo & ab eo, ne accumbentibus in Cœnaculo Fratribus legeretur, prohibitum*. Unde colligas quod & Echard notavit, *integritatem morum, & vitæ ſanctitatem non ſemper eſſe ſanioris ſcientiæ argumentum*. Atque hic obiter nota, quanta ſit illorum Religioſos orum imprudentia, ac temeritas, qui male a Sodalibus ſuis dicta totis viribus propugnare non erubeſcunt.

VII. Reſtat, ut deſcribamus hoc loco inſcriptionem marmoreo lapidi inciſam memoriæ laudati Candidi, quæ extat in Templo S. Mariæ ſuper Minervam prope gradus Sacelli S. Dominici, eſtque hujuſmodi.

D. O. M.
FR. VINCENTIO CANDIDO
ORDINIS PRAEDICATORVM
MORVM CANDORE
DOCTRINA VITAEQ. PROBITATE
CLARISSIMO
COENOBII S. M. S. MINERVAM
SEMEL ITERVM AC TERTIO PRIORI
PROVINCIARVM
APVLIAE ATQ. ROMANAE
PROVINCIALI PRAEFECTO
APOSTOLICO POENITENTIARIO
SACRI PALATII MAGISTRO
VII. ID. NOVEMB. AN. MDCLIV.
E MORTALIVM OCVLIS EREPTO
EX FRATRVM S. M. S. M. PIETATE
POSITVM

C A P. LX.

De F. Raymundo Capiſucco.

I. UBi exceſſit e Vita Candidus die nempe VII. Novembris anni MDCLIV. Innocentius Papa X. die XIII. ejuſdem menſis & anni in Sacri Palatii Magiſtrum elegit F. Ray-

F. Raymundum Capiſuccum ex pervetuſta, atque illuſtri Romana Capiſuccorum familia natum Romæ anno MDCXVI. Fuit hic filiorum ultimus ex patre Marco Antonio Julianelli Parranique Comite, & matre Octavia Urſina, Camillus e ſacro fonte dictus. Adoleſcens annorum XIV. in Conventu Romano S. Mariæ ſuper Minervam habitum e manibus tum Prioris Fr. Vincentii Candidi, poſtea in Magiſterio Sacri Palatii deceſſoris ſui, induit anno MDCXXX. die VIII. Junii; eodemque die ac anno revoluto profeſſus ex diſpenſatione quoad ætatem ab Urbano VIII. data, functuſque gradatim omnibus Scholæ muneribus, Laurea donatus, & Sacræ Theologiæ Magiſter in Comitiis Romæ Generalibus anno MDCXLIV. approbatus, laudati Vincentii Candidi Sacri Palatii Magiſtri Socius primum aſcitus, tum ab Innocentio X. anno MDCL. Secretarius Sacræ Congregationis Indicis conſtitutus, atque mox etiam Epiſcoporum coram Summo Pontifice Examinator, demum ab eodem Innocentio Pappa X. eidem Candido anno MDCLIV. mortuo ſuffectus fuit Sacri Palatii Magiſter, *in qua nobili Præfectura*, inquit Cl. Fontana, qui hæc ſcribebat anno MDCLXIII. *cum ſui, & Ordinis laude maxima vivit, concreditoſibi muneri accuratiſſime ſatisfaciens*. Atque hic finem facit Fontana ſuo Magiſtrorum Sacri Palatii Catalogo. Sane, ut verbis Cl. Proſperi Mandoſii utar, quæ & deſcripſit Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCXCI. pag. 729. ex ea Præfectura quantum accepit dignitatis, & ornamenti Capiſuccus, tantum eidem decoris reddidit, atque ſplendoris, non ea modo, qua imbutus cumulate erat eruditione, atque doctrina, ſed & ingenita ipſi morum ſuavitate, & elegantia, qua ſibi omnium animos mirifice devinciebat.

II. At vero non minus claruit Vir fortis, cum adverſa ſub Alexandro VII. exagitatus eſt ſorte; tum enim, nempe anno MDCLXIII. ſponte, & grandi animo Sacri Palatii Magiſterio ceſſit, æmulorum ut iræ locum daret; & illuſtres licet Infulas ei tum obtulerit Summus Pontifex, quod innocentiæ hujus eximii Viri luculentiſſimum teſtimonium eſt, conſtantiſſime recuſavit, Eccleſiæ non ſatis conſul-

tum

tum arbitratus, ſi ad Dignitates aſcenderet, priuſquam per reſtitutionem in integrum fama ſua, labe omni vel minima immunis palam omnibus oſtenderetur. Quod & per gradus poſtea egere Succeſſores Alexandri Pontifices, ut dicemus inferius Capite LXII. cum iterum de ipſo Capiſucco agemus donato iterum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſterio. Interim ſub Pontificatu ipſius Alexandri VII. privatus morabatur Capiſuccus apud ſuos Fratres, ſtudiis, quibus mire delectabatur unice attendens. Juſſit autem Alexander Pontifex, ut primum a Magiſtro Ordinis apud ipſos ſuos Fratres locum obtineret.

III. Quamvis autem aliquid adverſi Capiſucco Sacri Palatii Magiſtro contigiſſe videatur, quod illi hanc felicitatem, & laudem dubiam ſecerit, obſervat tamen eruditiſſimus Vincentius Baronius Lib.v. *Apologiæ*, Sectione ultima, Articulo II. § II. pag. 343. illud quod in caput Viri hujus religioſiſſimi videbatur vergere infortunii genus, eo illæſo, & illuſtrato, verſum eſſe vel in Papæ Alexandri VII. gloriam immortalem. Quamvis enim illius caſui nedum Roma, & Italia, ſed pene tota Europa indoluerit, & Principes Eccleſiæ, & Reges, amicitiæ cauſa ſuis litteris, aut per Legatos juverint apud Pontificem, ejus tamen animus, non tam horum precibus, quam pro ingenita clementia rem peragi voluit, ſola paterna in filium caritate. Nam ne videretur reo culpam remittere, & aliqua delicti nota veniæ nomine, aut ſpecie aſpergere, non ſatis fuit Pontificis bonitati, inſontem habere, voluit etiam quaſi benemeritum Epiſcopi honore decorare, quo nequeunt niſi digni, aut digniores donari. Cenſent Principum nonnulli ex falſa omnino opinione, ad ſuam majeſtatem pertinere, quos vel ſemel ſuſpicati ſunt, vel aliorum relatione reos crediderunt, eo ſemper loco habere, & vix inſontes abſolvere, ne videantur judicium retractaſſe. Sed pravam hanc mortalium ambitionem damnavit Sapientiſsimus Pontifex in Capiſucco, nedum comperta ejus innocentia extra judicii aleam ſepoſito, ſed etiam ad Dignitatem capeſſendam invitato. Exemplo tantæ humanitatis, & cle-

& clementiæ, qualis vix occurrit apud antiquos, ſingulari nec hactenus viſa modeſtia reſpondit Capiſuccus, *ſolo benevolentiæ Alexandri, ſuæque Innocentiæ contentum teſtimonio, malle ſe ſuæ matri reſtitui, & privatum in Cœnobio vivere, quam ornari Infulis, & Patris, ac Pontificis honore, ac munere defungi*.

IV. Ergo ad Cœnobium S. Mariæ ad Minervam reverſus, legendis, ſcribendiſque Libris totum ſe dedit, quos recenſet Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCXCI. pag. 730. quoſque Viri docti ſummopere commendarunt; ut vel hinc intelligas, quantum fuerit Petri a Valle Clauſa in Dominicanos odium, ac præſertim in illos, qui vel Secretarii Congregationis Indicis, vel Magiſtri Sacri Palatii fuere; ut enim alios omittam, Capiſuccus ipſe, Vir ob vitæ probitatem, doctrinæ præſtantiam, generiſque nobilitatem magni ab omnibus merito habitus, ab homine invido malevoloque Petro de Valle Clauſa per ludibrium *Caput cucurbitæ* identidem appellabatur. Qui tamen ob eximias, quibus præditus erat, virtutibus, ab Innocentio XI. Pontifice veræ doctrinæ, ac ſolidæ pietatis æſtimatore S.R.E. Cardinalis renunciatus fuit, ut nos dicemus inferius Cap. LXII. ubi iterum de ipſo Capiſucco agendum erit.

CAP. LXI.

De F. Hyacinto Libelli, poſtea Archiepiſcopo Avenionenſi.

I. SPonte, ut in præcedenti Capite dictum eſt, Magiſterio Sacri Palatii cedente Capiſucco anno Domini MDCLXIII. delectus mox fuit ab Alexandro VII. Sacri Palatii Magiſter F. Hyacinthus Libelli Tipherni in Umbria nobili loco natus. Anno ætatis XII. Romæ in Conventu Minervitano e manibus F. Vincentii Candidi tum Prioris habitum induit, & ut acutioris erat adoleſcens ingenii, brevi adeo in ſtudiis profecit, ut XVI. ætatis anno Concluſiones de univerſa Philoſophia publice ſuſtinuerit cum ingenti plauſu. Vigeſimum quintum annum agens inſtitutus

Digitized by Google

eſt Prædicator Generalis, Philoſoſophiam Peruſii, tum iterum Romæ in Cœnobio Minervitano docuit, ac deinde ibidem Theologiam publice profeſſus, in Comitiis Ordinis Generaliſſimis anno MDCXLIV. coactis Lauream Magiſterii pro meritis accepit. Ad ſuperiora deinde Ordinis, & Eccleſiæ munera gradatim evectus, Provinciæ Romanæ bis Prior Provincialis, in Collegio de propaganda Fide Studiorum pluribus annis Præfectus, Sacræ Congregationis Indicis annos decem Secretarius, totidemque Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, ab anno ſcilicet MDCLXIII. ad MDCLXXIII. quo Avenionenſis Antiſtes renunciatus a Clemente X. eam Eccleſiam rexit ad annum uſque MDCLXXXIV. quibuſdam etiam annis Vicelegati ibidem munere functus. Quæ officia univerſa cum ſumma omnium approbatione adminiſtravit, ad mortem uſque erga Ordinem ſuum, præſertim Provinciæ ſuæ Romanæ ſodales optime affectus. Obiit Avenione prædicto anno MDCLXXXIV. fuitque in Eccleſia Cathedrali ſepultus. Scripſit varia, quæ in Hiſtoria ſuæ Provinciæ Romanæ recenſet Fontana, & Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCLXXXIV. pag. 701.

C A P. LXII.

De F. Raymundo Capiſucco, iterum Sacri Palatii Magiſtro, & deinde S. R. E. Cardinali.

I. JAm ſuperius diximus, Raymundum Capiſuccum ſuffectum in Magiſterio Sacri Palatii ab Innocentio X. anno MDCLIV. die XIII. Novembris Fratri Vincentio Candido Vita functo die VII. ejuſdem menſis & anni, ut æmulorum iræ locum daret, ſponte, grandique animo ceſſiſſe ei muneri anno MDCLXIII. eodemque anno ſubſtitutum ipſi fuiſſe Fr. Hyacinthum Libelli ab Alexandro VII. Summo Pontifice. At vero Clemens X. omnibus æqua lance penſatis, promoto ad Avenionenſem Eccleſiam memorato Libello, qui tunc erat Sacri Palatii Magiſter, id e re Eccleſiæ judicans, ut ait Echard Tomo II. Scriptorum ad an-

annum MDCXCI. pag. 729. ad priſtinum Magiſtri Sacri Palatii munus revocavit Capiſuccum, ac in iiſdem Indulgentiarum, Sanctæ Inquiſitionis, Sacrorum Rituum, Indicis etiam, ut ajunt, & Epiſcoporum examinis Congregationibus, ut alias, Conſultorem edixit, ac reſtituit die x. Januarii anni MDCLXXIII. Incredibile eſt, quantum ſolemnî huic Pontificis judicio Roma gratulata ſit univerſa, quanto plauſu id acceperint, non ſolum Purpurati Patres, quî jam olim Capiſuccum collegam ſperabant, ſed & Principum Oratores, ac Legati; quanta lætitia geſtierint quique litterati, quod Virum adeo eruditum ſuorum iterum habituri eſſent operum arbitrum; quanto demum gaudio exultarint Bibliopolæ Urbis, quod ſuæ Societatis S. Barbaræ Præſulem recuperarint, cui ſe devinctos ingenue profitentur in ipſius Societatis Statutis, a Clemente X. confirmatis, & publici juris factis.

II. Sed audiamus Fontanam, qui de ipſo Capiſucco Parte V. Monumentorum Dominicanorum Cap. IV. ad annum MDCLXXIII. pag. 689. hæc habet: *Pater Raymundus Capiſuccus nobilis Romanus de Sancta Sede Apoſtolica, ac noſtro Prædicatorum Ordine optime meritus, utpote eidem Sanctæ Sedi multis annis per varia, & clara officia probatus, primum videlicet Magiſtro Sacri Palatii F. Vincentio Candido ſuo deceſſori Socius adlectus, exinde Sacræ Indicis Congregationis datus Secretarius, ac ſimul eodem in munere Epiſcoporum coram Summo Pontifice examinator, demum Candido vita functo, Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici per felicis recordationis Innocentium PP. X. renunciatus; quo munere cum per decem fere annos diligenter, ac fideliter perfunctus fuiſſet, ad Matrem ſuam Religionem rediit, Epiſcopalibus, & Archiepiſcopalibus Infulis, eiſque primariis non ſemel ultro delatis, modeſte recuſatis, & in Conventum S. Mariæ ſuper Minervam ſe recepit, primum ubique poſt Magiſtrum Generalem noſtri Ordinis locum tenere juſſus. Ibi Theologicis voluminibus, quæ paſſim leguntur, edendis intentus, in Religioſa quiete aliquot annos non otioſus tranſegit. Sed hoc anno* MDCLXXIII.

Digitized by Google

quo hæc ſcribimus, ad priſtinum Sacri Palatii Magiſterium a Clemente X. evocatur dato ſequenti Brevi. Breve ſive Pontificium Diploma ſimile eſt illi, quod nos deſcripſimus Lib. I. Cap. XIII. Legi autem ipſum poteſt Tomo VI. Bullarii Dominicani pag. 312. cum Notis eruditiſsimi Bremond, qui inter alia obſervat, eidem Capiſucco Clementem X. elargitum fuiſſe indulta, gratias, & exemptiones Familiaribus Summi Pontificis conceſſas, probatque ex alio ejuſdem Pontificis Diplomate dato *Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die* III. *Januarii MDCLXXVI. Pontificatus anno VI.* ſic inſcripto: *Dilecto Filio Raymundo Capiſucco Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Familiari noſtro*. Addit mox etiam Bremond, iiſdem privilegiis ornatum fuiſſe *Virum Clariſſimum P. M. F. Johannem Benedictum Zuannelli &c.* Atque hoc honore donati ſunt etiam Zuannelli Succeſſores, Ridolfius, & qui eodem Sacri Palatii Magiſterio fungitur Reverendiſſimus Pater Fr. Joſephus Auguſtinus Orſi.

III. Plurimi quidem fecit Capiſuccum Innocentius Papa XI. Clementis X. Succeſſor, a quo penſatis non tam ejus familiæ inſignibus, quam egregiis ipſiuſmet Raymundi erga Eccleſiam meritis, die prima menſis Septembris anni MDCLXXXI. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus eſt, ac Presbyter Cardinalis declaratus Tituli primum S. Mariæ de Angelis, quem paulo poſt in Sancti Stephani in monte Cœlio immutavit. Novem annis, ac ſeptem circiter menſibus ea in dignitate vixit, Innocentio XI. & Alexandro VIII. acceptiſſimus ſupremarum omnium Congregationum collega, ac in arduis omnibus Eccleſiæ negotiis occupatus, diem vero tandem obiit ſuum Dominica in Albis XX. Aprilis anni MDCXCI. Romæ, dum actu in Comitiis eſſent Cardinales adunati. Capiſucci cum laude meminere Autores varii, quos recenſet Echard loco citato. Sed inter alios legendus Fr. Joannes Michael Cavalierius in ſua *Galleria &c.* Tomo II. pag. 132. & ſeqq. ubi etiam tradit, coactum fuiſſe Capiſuccum Magiſterio Sacri Palatii renunciare, ob editionem ſcilicet ejus Libri, qui inſcriptus eſt, *Can-*

Candor Lilii &c. ſed monet mox etiam Cavalierius, ſuffecto in Capiſucci locum Fr. Hyacintho Libello, quem Alexander Papa VII. ſummopere diligebat, exiiſſe per Urbem tunc eam vocem, *non propter librum*, *ſed propter Libellum*, quia ſcilicet ejus nonnulli erant opinionis, Alexandrum editionis illius Libri occaſionem captaſſe, ut amoto a Sacri Palatii Magiſterio Capiſucco, in ejus locum Hyacinthum Libellum ſubſtitueret. Quicquid ſit, fuit certe Capiſuccus ab ea culpa immunis, ut ſequiores Pontifices ſatis ſuperque oſtenderunt.

IV. Sepulturam elegit Capiſuccus in Gentilitio Capiſuccorum ſepulchro in Eccleſia S. Mariæ in Porticu, ſed voluit tamen, ut cor ejus, & viſcera in Æde S. Mariæ ſuper Minervam in Sacello S. Dominici conderentur, ut teſtatur marmorea inſcriptio, quæ ante inſtaurationem ejuſdem Sacelli factam a ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. anno Jubilæi MDCCXXV. prope Altare ipſius Sacelli extabat a parte Epiſtolæ, & refertur a Viro diligentiſſimo, Reverendiſſimo Patre F. Antonino Bremond Tomo VIII. Bullarii Dominicani pag. 520. eſtque hujuſmodi.

D. O. M.
RAYMVNDVS TIT. S. MARIÆ ANGELORVM
AD THERMAS
S. R. E. CARDINALIS CAPISVCCVS
ORD. PRÆD.
PIO ERGA SVVM ORDINEM AFFECTV
EX HAC VITA DECEDENS
IN HOC TEMPLO
IN QVO CVM PRIMO RELIGIOSÆ VITÆ SPIRITV
DIDICIT NIHIL HABERE CORDI POTIVS
QVAM PIETATEM
SVA VOLVIT TVMVLARI PRÆCORDIA
OBIIT XX. APRILIS MDCLXXXXI.

Sublata hac inſcriptione ob novam memorati Sacelli inſtaurationem, poſita non ita pridem fuit alia inſcriptio marmoreo lapidi inciſa in ipſa Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam, ſed extra tamen ipſum Sacellum, eſtque hujus tenoris.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
RAYMVNDO . CAPISVCCO
PAVLI . MARCHIONIS . PODII CATINI
ET HORTENSIAE . MARESCOTTAE . F.
ROMANO . ORD. PRAED.
PIETATE . DOCTRINA . MVLTISQVE . LIBRIS
VVLGATIS CLARISSIMO
S. INDIC. CONGREGATIONI. A. SECRETIS
ET . S. PALATII . APOSTOLICI . MAGISTRI
ALIISQVE . MAGNIS . HONORIBVS . PERFVNCTO
AB . INNOCENTIO . XI. P. M. AN. MDCLXXXI.
IN . COLLEGIVM . S. R. E. CARDINALIVM . ADLECTO
QVI . SINGVLARI . IN . EOS . CVM . QVIBVS . DIV . VIXIT
AMORE
SVA . PRAECORDIA . HIC . CONDI . VOLVIT
FF. PRAEDICATORES . COENOBII . S. M. S. M.
OB . EGREGIA . BENEFICIA . IN . SE . CONLATA
ALVMNO . BENEMERENTI
M. P. P.

Sequitur Stemma Ordinis Prædic. & deinde hæc verba.

VIXIT . ANN. LXXV.
OBIIT . AN. CHR. MDCXCI. X. KAL. MAIAS

C A P. LXIII.

De F. Dominico Maria Puteobonello.

I. Raymundo Capiſucco e Sacri Palatii Magiſterio ad Cardinalitiam dignitatem evecto die I. Septembris MDCLXXXI. ſuffectus eidem fuit ab Innocentio XI. Summo Pontifice Frater Dominicus Maria Puteobonellus patritia gente Savonæ Ligurum ortus, ut tradit Echard Tomo II. Scriptorum ad annum MDCLXXXVIII. pag. 716. Anno Chriſti MDCXIX. die XIII. Octobris Januæ in Æde S. Mariæ ad Caſtellum Ordini Prædicatorum nomen dedit adoleſcens, qui cum egregiam ſtudendo, docendoque navaſſet operam in Gymnaſiis ſui Ordinis, Mantuano, Veronenſi, Cremonenſi,

nenſi, & Januenſi, Magiſterii Lauream in Theologia promeruit, & adeptus eſt, in Actis Capituli Generalis Romæ anno MDCL. habiti acceptatus, & adprobatus. Poſtea a Vincentio Preto Sancti Officii in Urbe Commiſſario Generali Socius allectus, illo Romæ anno MDCLXVI. die XXXI. morte ſublato, Placentinus Inquiſitor conſtitutus fuit, & poſt Conſalvum Gritium Preti Succeſſorem Commiſſarius ipſe Romæ generalis delectus eſt, Summis Pontificibus Alexandro VII. Clementi IX. Clementi X. & Innocentio XI. acceptiſſimus. Demum Raymundo Capiſucco, ut dictum eſt, in Magiſterio Sacri Palatii ſucceſſor, ita in eo munere prudenter, ac laudabiliter ſe geſſit, ut communi voce amplioribus honoribus dignus judicaretur.

II. Teſtatur id quidem eloquentiſſimus Carolus de Aquino Societatis Jeſu in Oratione, quam in ejus funere habuit in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam, ubi ſic inter alia inquit: *Tanti Viri gloriæ cumulum adjecit, qui illum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum pronunciavit Innocentius XI. Pontifex Maximus tum acerrimus cultor, tum egregius æſtimator veræ virtutis. Ad eum honorem tanta omnium Ordinum approbatione, & lætitia eſt evectus, quantam excitare potuit, debuitque magnum dignitatis ornamentum, attributum magnæ ſapientiæ, pietatique. Confeſtim egregiæ illæ animi dotes eluxere, amplioremque a conſpicuæ dignitatis acceſſione ad innoteſcendum nactæ campum, ſingularem illi a morum facilitate, & modeſtia benevolentiam, a ſpectatiſſimæ virtutis, atque ſapientiæ documentis admirationem conciliarunt. Quantum vero Innocentius ipſe laudatiſſimi Viri conſiliis tribueret, quantique ejus doctrinam in ipſa morum moderatione conſpectiorem faceret, teſtabatur vox publica Civitatis nihil addubitantis, Optimum Pontificem ſæpius de Dominico in Eccleſiæ Senatorum numerum referendo conſilium ſuſcepiſſe.* Legenda integra Oratio, quæ extat Tomo I. Orationum memorati Auctoris Romæ edito anno MDCCIV. Eximias fuiſſe Puteobonelli virtutes, jam & alii Scriptores teſtantur; ſed non omittendum, quod idem Orator de egregia illius pau-

paupertate ſcriptum reliquit: *Paupertatis arctiſſimæ ſtudium quid attinet commendare, cum extincti cubiculum perveſtigantes domeſtici, nihil prorſus aſſervatæ pecuniæ, nihil ſepoſiti xenioli, nihil demum ſupellectilis paulo elegantioris invenerint?* Sed ut finem huic Capiti faciam, varia ſcripſit Puteobonellus Opera, quorum inter alios meminit laudatus Echard, obiitque tandem Romæ anno Domini MDCLXXXVIII. menſe Julio, ac ſepultus fuit apud ſuos Fratres in Templo S. Mariæ ſuper Minervam.

C A P. LXIV.

De F. Thoma Maria Ferrari, poſtea S. R. E. Cardinali.

I. Vita functo F. Dominico Maria Puteobonello ſucceſſit in Magiſterii Sacri Palatii F. Thomas Maria Ferrari Apulus Mandurienſis, in Oppido ſcilicet Territorii Hidruntini, quod eſt in noſtro Regno Neapolitano, parentibus natus honeſtis, atque vere Chriſtianis, a quibus moribus imbutus pietatis non fucatæ, devotus Virginis Deiparæ, cujus Imaginem dietim colebat in Eccleſia Mandurienſi Dominicanorum, anno XV. ætatis ſuæ Dominicano Inſtituto nomen dedit; in quo ſolemni emiſſa Profeſſione, Philoſophicis, atque Theologicis eruditus diſciplinis, grandior factus, per triennium apud Apulos ex Cathedra docuit. Inde, uti refert Palatius Tomo IV. de Cardinalibus pag. 119. *a Fratribus neglectus, & relegatus in Cœnobium nullius nominis, delituit, donec in Generalibus Comitiis totius Ordinis, in quibus Magiſter Generalis electus fuit,* Romæ ſcilicet anno MDCLXXVII. Sabbato Pentecoſtes die V. Junii, *Antonius Monroy, magno cum honore, & plauſu theſibus propugnatis Theologicis, ab eodem Generali Regens Studiorum Neapolim mittitur in Collegium S. Thomæ. Ex hoc Collegio*, ut idem Auctor refert, *reformationem Prædicatorum meditante Innocentio XI. Bononiam miſſus Studiorum Regens, ibidemque inita amicitia cum Cardinale Pignatello contribule ſuo, eodemque pro-*

cu-

Digitized by Google

curante, Romam evocatus ab Innocentio XI. Magiſter Sacri Palatii, & Concionator Palatii Apoſtolici, tandem poſt ejus mortem Sedem Petri occupante Innocentio XII. in prima Cardinalium promotione facta die xii. Decembris MDCXCV. *Cardinalis dictus S. R. E. Titulo S. Clementis, ut ei prædixerant aſtrologi, vere litteratus, & pius, in quo dolus non eſt, ſanctis moribus Purpuram exornat.*

II. Porro ut ad Magiſterium Sacri Palatii Ferrarius pervenerit, docent mſs. Monumenta communicata nobis a Fratribus Dominicanis S. Sabinæ. Ergo Vita functo Puteobonello, ſcripſit Innocentius Papa XI. ad Cardinalem Bononiæ Legatum, ut eum nempe certiorem faceret, ſi Bononiæ in Cœnobio S. Dominici Religioſus inveniretur ſingularis probitatis, atque doctrinæ. Reſpondit ille, inveniri quidem Sacræ Theologiæ Magiſtrum F. Thomam Mariam Ferrari Studii Regentem, quem etiam hoc elogio decoravit: *Si non viderem illum carne indutum, ſed loquentem ſolum audirem, profecto eum ingeniorum Angelum dicerem; adeo enim ſublimis eſt illius doctrina, ut non modo æquales non habeat, ſed vix alter ſimilis illi inveniatur.* His auditis Pontifex creavit mox illum Sacri Palatii Magiſtrum, certioremque de ea re Legatum fecit, cui & ita ſcripſit: *Expectamus hunc hominem nos veluti Angelum in præſentibus neceſſitatibus a Deo Eccleſiæ ſuæ datum.* Ab Innocentio Pontifice XI. fuiſſe Ferrarium anno MDCLXXXVIII. Romam Bononia vocatum, ut vacante Magiſterio Sacri Palatii per obitum Puteobonelli, eo munere fungeretur Ferrarius, & Apoſtolicum Concionatorem ageret, ſcribit etiam Cavalierius in Libro, cui Titulus, *Galleria de' Sommi Pontefici &c.* Tomo II. pag. 254. & ſeqq. Idipſum præ ceteris teſtatus eſt Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter in ſua encyclica epiſtola, quam de ejus obitu ad ſuos Fratres ſcripſit anno MDCCXVI. ubi ſic inter alia inquit: *Increbreſcente in dies, & longe, lateque propagata ejus fama, ab Innocentio XI. Sanctiſſimo Pontifice veræ eruditionis, ac ſolidæ pietatis æſtimatore æquiſſimo ad officium Magiſtri Sacri Palatii præter expectatio-*

nem ſuam provectus eſt Kalendis menſis Novembris anni MDCLXXXVIII. Qua provincia ſibi demandata adeo ſapienter defunctus eſt, ut Pontificem Maximum, & Purpuratos Patres ſuis Concionibus mirifica Spiritus Sancti unctione perfuſis per quadrageſimalis temporis curriculum in admirationem rapuerit, eaſque laudes apud omnes Viros probos conſequutus fuerit, quas ſincera religio, pietas expers fuci, æqui rectique tenax integritas, in omni vitæ curſu conſtans ſibi ſemper ſapientia, in gerendis negotiis cautio, in ponderandis maturitas, & præſertim ſumma illa, quam in ſe exprimebat, morum manſuetudo, promereri, atque optimo Eccleſiæ Miniſtro conciliare ſolent. In Magiſterio Sacri Palatii conſtitutus Ferrarius Jura ſummi ejus Officii egregie tutatus eſt, reſtititque fortiter anno MDCXCIII. Cardinali Savo Mellino Epiſcopo Urbevetano, quod præceptum pœnale edidiſſet in perſonam Fratris Dominici Boerii Vicarii deputati, ad effectum impediendi liberam deputationem, & retentionem Vicarii in ea Civitate a Magiſtro Sacri Palatii inſtituti. Sed de hac facultate, quam habet Sacri Palatii Magiſter deputandi Vicarios in variis Pontificiæ Ditionis locis, vide ſupra in Libro I. Capite V.

III. Ex Magiſtro Sacri Palatii ad Cardinalatum aſſumtum Ferrarium ab Innocentio XII. die XII. Decembris anno MDCXCV. eundem vitæ tenorem, quem in Religione ſervaverat, in ea dignitate retinuiſſe, jam adhuc & multi teſtantur, qui eum noverant, traditque ipſa encyclica epiſtola his plane verbis: *Inde in ampliſſimum Orbis theatrum productus humilis Dei Servus, & ab Innocentio XII. Pontifice Maximo, cui apprime charus erat, die XII. Decembris anno MDCXCV. ſummo omnium plauſu Cardinalis creatus, nihil omnino immutavit de priſtino vitæ curſu, quem antehac in Ordine noſtro tenuerat.* Fuit certe ſemper Ferrarius Vir apprime doctus æque ac pius, Virorumque amicitia delectabatur, qui vere docti ac pii eſſent, inter quos fuit celebris S. R. E. Cardinalis Thomaſius, ut ex ejuſdem Thomaſii Vita conſtat edita a Viro Clariſſimo Do-

Digitized by Google

Dominico Bernino. In arduis Eccleſiæ negotiis ejus conſilio utplurimum utebatur Clemens XI. Pontifex Maximus, Conſtitutioneſque Academiæ Theologicæ in Ædibus Sapientiæ Urbis jampridem inſtitutæ juſſu ſuo ab ipſo Ferrario Cardinale reviſas, atque approbatas, Pontificio Diplomate firmavit die XXIII. Aprilis anno MDCCXVIII. quod legitur in Bullario ejuſdem Clementis pag. 256. & Tomo VI. Bullarii Dominicani pag. 511. & ſeqq.

IV. Qualis fuerit in Cardinalitia Dignitate Ferrarius, & quantis virtutibus eluxerit, ut alios Scriptores omittam, egregie in ſua encyclica de ejus obitu epiſtola expreſſit Reverendiſſimus Pater Fr. Antoninus Cloche, ubi ſic inter alia ſcribit: *Factus eſt Cardinalis dignitate, titulis, & honoribus; cæterum modeſtia, pietate, aliiſque virtutibus idem prorſus, qui antea Religioſus. Eamdem in victu, cultuque parſimoniam retinuit; eandem a Feſto Sanctæ Crucis uſque ad Paſcha indictam jejuniorum legem, abſtinentiam a carnibus, interioris veſtitus aſperitatem ſedulo obſervavit, & a diſciplinæ Regularis exercitiis, quibus ſe a principio, dum adhuc in Monaſterio eſſet, aſſuefecerat, ne latum quidem unguem uſque ad extremam vitæ periodum, deſcivit.* Imitatus eſt Ferrarius alios multos ex Ordine ſuo ad Cardinalatum evectos, qui in ea dignitate conſtituti nihil de vita Religioſa immutarunt, uti nos oſtendemus in Opere noſtro de Summis Pontificibus, & Cardinalibus ex memorato Ordine aſſumptis. Sed audiamus nunc Ferrarii obſequium erga Sanctos ſui Ordinis: *Ad promovendum Sanctorum Ordinis noſtri cultum tria Sacella erexit, quorum primum dicavit S. Dominico in Eccleſia Conventus noſtri S. Clementis; alterum excitavit in honorem S. Vincentii Ferrerii in Monaſterio noſtro Mandurienſi in Apulia: tertium conſecravit S. Pio Quinto Pontifici Maximo in Conventu noſtro S. Sabinæ, quem propediem moriturus ex aſſe hæredem inſtituit.*

V. Pergit laudatus Cloche, aliaſque egregias memorati Religioſiſſimi Cardinalis Ferrarii virtutes recenſet, & inquit: *Summa fuit illius charitas erga pauperes, quibus*

erogabat quicquid ſibi eripiebat, ac ſæpius, remota omnium conſcientia, Cælo teſte, vel honeſtarum, vel etiam ſacrarum Familiarum anguſtiis benigne, & liberaliter occultis eleemoſynis conſulebat. Tanta erat ejus affabilitas, ut ſummis æque ac infimis charus eſſet; reſque cæteroquin diſjunctiſſimas in ſe arctiſſimo vinculo ſociaret, ſublimem nimirum dignitatem cum rara modeſtia, exquiſitam prudentiam cum candore maximo, & miram benignitatem cum integerrima æquitate, adeo ut, licet apud ipſum nihil momenti haberet gratia, nihil tamen diceret, aut faceret, quod non eſſet gratiſſimum. Hinc Eminentiſſimi Cardinales, quibus ſingularis ejus eruditio pari cum pietate conjuncta probe perſpecta erat, tanti in ventilandis Eccleſiæ negotiis cenſorium ejus ſuffragium faciebant, ut ipſum in Congregationibus de rebus difficillimis explicate, de intricatiſſimis abunde, & ornate loquentem, omnium animos ſuam in ſententiam Sanctuarii ponderibus libratam inclinantem attente auſcultarent.

VI. Sed nec omitenda quæ hactenus dictis idem Cloche in citata epiſtola de eodem laudatiſſimo Cardinale ſubdit: *Verum non id agimus, ut omnes dotes, quibus præditus fuit Cardinalis noſter omnibus ſuis numeris abſolutus, hic deſcribere velimus, cum eas ſingillatim celebrare, nec unius hominis, nec facultatis unius. Sat habemus delibaſſe partem aliquam vitæ illius, cui heroica patientia extremo morbo ex viſcerum inflammatione erumpente tolerato, finem, ut ſancte vixerat, impoſuit. Enim vero, quanta ineſſet ei Religio, Fidei magnitudo, ardorque Charitatis, vel ex ſumma qua Eccleſiæ Sacramenta ſuſcepit animi reverentia, palam omnibus fecit. Sacrum quippe Viaticum, quod nos ei periclitanti porreximus, humi proſtratus, plena fide, & cordis effuſione incredibili, fractis licet viribus, ſuſcepit, non ſine interna ſuavitate, ac ingenti, quem celare haud poterat, pietatis, lætitiæque ſenſu. Mox ſupremum vitæ diſcrimen præſentiens, Sacro Oleo inungi poſtulavit, utque ferœ poſteritati tam grati animi ſui, quam profuſæ erga pauperes, & Fratres ſuos charitatis*

Digitized by Google

ritatis relinqueret argumenta, Teſtamentum condidit, in quo variis piiſque Legatis Benefactoribus ſuis honeſte gratificatus eſt, & pauperum, atque Cœnobiorum Ordinis noſtri inopiam ſublevavit. Poſtremo uni Deo intentus, & quaſi novus ad pietatem colligens animos, maxima vultus ſerenitate, animique tranquillitate, aperto benigne ore, nullo conatu, vel moleſtiæ ſigno, inter Fratrum, & amicorum preces, atque ſuſpiria efflavit animam die xx. menſis Auguſti hujus labentis anni, ætatis vero ſuæ LXIX.

VII. Data eſt epiſtola ipſa encyclica die XXIII. ejuſdem Menſis Auguſti, anno MDCCXVI. additque alia memoratus Cloche, quibus univerſo Prædicatorum Ordini jubet, ut concordibus votis, ac precibus defuncti Cardinalis animam Deo commendent. Ceterum ſepultus fuit Ferrarius in Eccleſia S. Sabinæ, extatque prope majorem ejuſdem Eccleſiæ portam marmorea hæc ſimplex Inſcriptio ab eodem Religioſiſſimo Cardinale Ferrario ordinata.

D. O. M.
F. THOMAS . M. FERRARI
CARDINALIS . S. CLEMENTIS
SACRI ORDINIS
FRATRVM PRÆDICATORVM
OBYT DIE XX. AVGVSTI
ANNO DOMINI MDCCXVI.
ÆTATIS SVÆ LXIX.

CAP. LXV.

De Fr. Paulino de Bernardinis.

I. AD Cardinalatum aſſumpto Ferrario & quidem anno MDCXCV. die XII. Decembris, ut in Capite præcedenti dictum fuit, ſucceſſit in ejus locum ab Innocentio Papa XII. creatus Magiſter Sacri Palatii Fr. Paulinus de Bernardinis, ſeu Bernardinus, qui parentem habuit Hieronymum Bernardinum Patricium Lucenſem, conſanguineum autem Fr. Paulinum Bernardinum, cujus egregia geſta

geſta, ac Opera recenſet Echard Tomo II. Scriptorum &c. ad annum MDLXXXV. pag. 274. Huic multum profecto debet neſtrum S. Hieronymi Oratorium a S. Philippo Nerio anno MDLVIII. fundatum. Quum enim anno MDLXX. teſte Gallonio, & aliis in Vita ejuſdem S. Philippi Scriptoribus, Summum Pontificem S. Pium V. malevoli aliquot contra conciones, aliaſque pias exercitationes, quæ in ipſo Oratorio a Noſtris fiebant, falſis rumoribus præoccupaſſent, iſque laudato Paulino, atque Fratri Alexandro Franceſchi ejuſdem Dominicani Inſtituti alumno negotium dederit, ut diligentius de noſtris exercitationibus inveſtigarent, & ad ſe referrent: hi quidem non ſolum quæ in ipſo Oratorio agebantur, aprobarunt, verum etiam ſæpe ad majorem noſtri Inſtituti commendationem conciliandam, ibidem iterum, atque iterum Sermones habuerunt; quamobrem non modo noſtros antiquos Patres ab omni ſuſpicione vindicarunt, atque exiſtimationem apud omnes auxerunt, verum etiam Sanctiſſimo Pontifici, ut exercitationos jam primum a Paulo IV. probatas commendataſque, ſua auctoritate conſtabiliret, auctores fuere. Extat hodieque in eodem primo Oratorio grati animi monumentum ſub Imagine prædicti Alexandri Franceſchi, quod ita ad rem ait. F. ALEXANDER FRANCESCHI ORDINIS PRÆDICATORVM VNA CVM PAVLINO LVCENSI EJVSDEM ORDINIS A PIO V. HVC MISSVS, VT REM ORATORII SECRETO INQVIRERENT. CVNCTA SANA REPERIENTES, PONTIFICI INSTITVTVM COMMENDANT, AC SÆPIVS IN ORATORIO SERMOCINANTVR. FVIT DEINDE ALEXANDER FORI LIVII EPISCOPVS.

II. Sed ut de altero Paulino dicamus, qui fuit Magiſter Sacri Palatii in Ferrarii Cardinalis locum ſuffectus, is quatuordecim annos natus, ut nobis Fratres Dominicani Lucenſes ſignificarunt, Lucæ in Cœnobio S. Romani, cui præerat Fr. Vincentius Maccarinius, Prædicatorum Ordinem amplexus eſt Kalendis Novembris anno MDCXXXIII. ſolemnemque Profeſſionem emiſit ſub Fr. Silveſtro Nobilio Priore. Exacto ſtudiorum curriculo, quum ingenio præſtaret, & ſtudia diligenter coluiſſet, non modo Scholas variis

Digitized by Google

variis in locis doctrinæ ſuæ lumine colluſtravit, præſertim Neapoli in Collegio S. Thomæ Aquinatis, ubi Studiorum Regens extitit, Peruſii, Romæ in Cœnobio Minervitano, & in celebri Sapientiæ Gymnaſio; ſed etiam ob ſummam in regendo prudentiam pluribus ſuæ Romanæ Provinciæ Conventibus præſuit, ut teſtatur Cl. Dominicani Ordinis Scriptor Joannes Michael Cavalierius in ſua *Galleria &c.* pag. 143. & ſeqq. ubi etiam fatetur ſe Paulino valde adſtrictum ob ſumma & varia beneficia ab eodem recepta. Anno autem MDCLXII. quo Lucæ reſtaurari cœpit inſigne Templum S. Romani, eidem Cœnobio præfuit, plurimumque illi ædificationi ſua induſtria profuit. Paulino ſiquidem hortante, effuſa, & plane regia fuiſſe dicitur in ipſum Lucenſis Reipublicæ liberalitas. Biennii confecto regimine Romanam ſui Ordinis Provinciam gubernavit, tum vero anno MDCLXX. iterum Lucenſis Cœnobii Prior eſt inſtitutus. Renunciato autem anno MDCLXXXVI. Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum, ſapientiſſimo Viro Patre Antonino Cloche, initio ſui regiminis ab eodem delectus fuit in Socium pro variis Italiæ Provinciis quas Cavalierius citato loco recenſet, ubi etiam ſcribit, noluiſſe Paulinum conſentire Cardinali Spinolæ, qui anno circiter MDCXC. renunciare eidem volebet inſignem Patriæ ſuæ Lucenſis Epiſcopatum, quem ille adminiſtrabat.

III. Sede tandem Romana vacante ob Alexandri VIII. Papæ obitum, qui contigit anno MDCXCI. Kal. Februarii, a Sacro Collegio, cui perſpecta erat doctrina, & prudentia Paulini, inſtitutus Conclavis Confeſſarius fuit; electuſque eodem anno die XI. Julii Innocentius XII. Bernardini præclaris dotibus captus, voluit, ut in Palatio Apoſtolico maneret, ut eo in Sacris Confeſſionibus peragendis uteretur. At vero anno MDCXCV. ad Cardinalatum evecto Ferrario, qui Magiſterio Sacri Palatii fungebatur, in ipſius locum ab eodem Innocentio ſuffectus ſuit Paulinus, ipſumque officium dici nequit, quanta prudentia exercuerit ad annum uſque MDCCXI. Tunc enim cum ipſe decrepitæ eſſet ætatis, nequid detrimenti munus illud laborioſum patere-

teretur, ſponte honori, & oneri ceſſit; receptuſque a laudato Antonino Cloche in Hoſpitium Minervitanum, ibidem vixit uſque ad annum MCCXIII. obiitque plenus annis atque virtutibus die XXIX. Martii. Sepultus fuit apud ſuos Minervitanos ſolemni Funere decoratus, ut fieri aſſolet Magiſtris Sacri Palatii.

C A P. LXVI.

De Fr. Gregorio Selleri, poſtea S.R.E. Cardinali.

I. PAulino de Bernardinis, de quo Capite præcedenti diximus, ſucceſſit in Magiſterium Sacri Palatii anno MDCCXII. Gregorius Selleri Peruſinus, electus a Clemente Papa XI. cujus etiam a Confeſſionibus fuit. Eximias Religioſiſſimi hujus Viri dotes expertus Pontifex jam illum, dum in Cœnobio Minervæ Cathedratici Caſanatenſis munere fungebatur, Sacræ Congregationis Indicis Secretarium anno MDCCVII. inſtituit, ac deinde, uti dictum eſt, anno MDCCXI. Sacri Palatii Magiſtrum renunciavit; quodque majoris æſtimationis indicium eſt, eundem conſcientiæ ſuæ Rectorem ſibi adſcivit, & uſque ad extremam vitæ ſuæ periodum habere voluit. Scripſit varios Tomos in celeberrimam Conſtitutionem, *Unigenitus*, quam laudatus Pontifex edidit; tum vero tandem, ut notavit doctiſſimus Bremond Tomo VI. Bullarii Dominicani in Appendice ad Conſtitutiones Benedicti Papæ XIII. pag. 704. ab eodem Pontifice *ex Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici S.R.E. Cardinalis Tituli S.Auguſtini renunciatus eſt die XXX. Aprilis MDCCXXVIII. Unus fuit ex illis ſeptem, quos Summus Pontifex in pectore reſervaverat anno MDCCXXVI. die IX. Decembris*. Legenda apud eundem Bremond Concio a memorato Pontifice habita in Conſiſtorio ſecreto, ubi ſeptem ipſos Cardinales creavit, ſed operæ pretium duxi encyclicam epiſtolam deſcribere, quam de ejus obitu ſcripſit ad univerſum Prædicatorum Ordinem Reverendiſſimus Pater Fr. Thomas Ripoll ejuſdem Ordinis Generalis

Ma-

Magiſter, in qua in compendio virtutes, ac geſta inſignia ipſius Cardinalis recenſet, qui quidem, ut idem laudatus Bremond citato loco pag. 705. adnotavit, *mortuus eſt anno MDCCXXIX. die xxxi. Maji, hora iv. hinc in ipſius Epitaphio*, quod nos inferius referemus, *mortuus dicitur die xxx. Maji*. Cæterum memorata encyclica Epiſtola eſt hujus tenoris.

In Dei Filio ſibi dilectis R. R. Patribus, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum Fr. Thomas Ripoll Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac ejuſdem totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

Salutem, pias lacrymas,

& ſalutarem mortis recordationem.

Ingentem dolorem, quem vos nobiſcum ſuſcepiſſe non dubitamus, ubi primum, vel ipſo rumore publico nunciante, Eminentiſſimum, ac Reverendiſſimum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Fratrem Gregorium Selleri deceſſiſſe audiviſtis, acerbius hodie renovare cogimur, Fratres in Chriſto dilectiſſimi, cum hunc ipſum luctuoſiſſimum nuncium vobis per præſentes de more communicamus. Nec ſane parum nobis dolendum eſt, quod talem ac tantum, amiſerimus Virum, qui ſuarum fulgore virtutum, univerſum Ordinem noſtrum, quem profeſſus fuerat, feliciter illuſtrabat, quodque lucernam iſtam ſplendidiſſimam anno proxime præterito ſuper Candelabrum, ut omnibus præluceret, collatam, tam brevi tempore, & nimia profecto celeritate penitus extinctam ſuſpiciamus. Noviſtis vos, noverunt omnes, quibus ipſe dotibus ornabatur, qua pietate, qua doctrina, qua denique humanitate præfulgebat. Eximias has Religioſiſſimi Viri dotes, quibus omnium animos, & corda in ſui amorem, ac venerationem rapiebat, ſatis ſuperque perſpectas, longoque experimento probatas habuit Sanctiſſimus D. felicis recordationis Clemens Papa XI. quamobrem iiſdem permotus, illum, dum in hoc noſtro Conventu S. Mariæ ſuper Minervam Cathedralci Caſanatenſis munere ſumma cum laude fungebatur, Sacræ Congregationis Indicis Secretarium inſtituit. Dein

vero Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum renunciavit, quodque majoris æſtimationis indicium eſt, eundem conſcientiæ Rectorem ſibi adſcivit, & uſque ad extremam vitæ ſuæ periodum habere voluit. In his omnibus, & quidem gravibus muneribus, quæ per plures annos laudabiliter exercuit, pulcherrima ſemper juſtitiæ, prudentiæ, & dexteritatis præbuit argumenta, dignitatem cum modeſtia, benignitatem cum æquitate ita conjungens, ut ad omnem virtutis rationem efformatus videretur. Tot itaque meritis cumulatum, atque omnium ſermone celebratum SS. D. N. Benedictus XIII. Ordinis noſtri, quem profitetur, amantiſſimus, Sacro Cardinalium Collegio cooptavit, ut ſcilicet virtutes ejus in eminentiori loco conſtitutæ clarius eniterent. Verum invida mors nobis eum ſtatim eripuit, & quidem dum plures adhuc annos victurum, prout in votis erat, pro certo haberemus. Nondum ſiquidem expleto anno, ex quo palam evulgatus, & declaratus fuerat Cardinalis, gravi morbo correptus, eodemque per duos integros menſes vexatus, perceptis Eccleſiæ Sacramentis, tota mœrente Urbe, animam Deo reddidit die trigeſima Maji proxime elapſi, annos natus ſeptuaginta quatuor, menſes decem, dies decem, & novem.

Graviſſimam hanc noſtri Ordinis jacturam impenſiſſime deflendam eſſe, nemo non agnoſcit, Fratres dilectiſſimi. Verum quia juxta monitum Apoſtoli, non debemus contriſtari de dormientibus, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent, ea conſideratione mœror noſter levandus eſt, qua Cælo donatum eſſe ſperemus. Id profecto ſperare nos jubet defuncti Cardinalis pietas, ac morum integritas, quam nulla ſeræ poſteritatis extinguet oblivio; jubet mira ejus conſtantia, qua tanta morbi acerbitate, & diuturnitate afflictus ſerena fronte mortem adſpexit; jubet denique heroicus illius rerum omnium humanarum contemptus, quem jam morti proximus nobis explicuit, dum verba illa Job ſæpius repetens, Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar, *profeſſionis ſuæ non immemor, quidquid domeſticæ ſuppellectilis reliquum eſſe poſſet, totum arbitrio no-*

noſtro diſponendum commiſit. Quamvis autem fiduciam hanc maximam nobis faciant tot egregiæ virtutes, quas ipſe dum viveret diligenter excolere non prætermiſit, nihilominus ſi qua adhuc ſupereſſet macula piacularibus flammis eluenda, æquum eſt, ut ſuffragiis noſtris eidem æterna gaudia quantocius comparemus.

II. Hinc mox mandat omnibus & ſingulis Conventuum Superioribus, ut pro ipſo Cardinale defuncto ſolemnes exequias cum Miſſa, & Officio Defunctorum abſque cunctatione perſolvant; & inſuper, ut per univerſum Ordinem quilibet Sacerdos pro ejuſdem anima unam Miſſam celebrare, ceteri vero Fratres unam partem Roſarii recitare teneantur; id quod etiam monialibus curæ ſuæ ſubjectis injungit. Legitur hæc Epiſtola in memorato Bullario pag. 704. & ſeqq. ubi etiam Auctor notat ſepultum ipſum Cardinalem Selleri in Choro Cœnobii S. Mariæ ſupra Minervam, ubi hoc Epitaphium extat marmoreo lapidi inciſum, quod & nos, ut de aliis fecimus, noſtra manu deſcripſimus, eſtque hujuſmodi.

D. O. M.
FR. GREGORII SELLERI PERVSINI ORD. PRÆDIC.
CASANATENSIS CATHEDRATICI
SAC. CONGR. INDICIS SECRETARII
PALATII APOSTOLICI MAGISTRI
CLEMENTI XI. A CONFESSIONIBVS
INNOCENTIO XIII. ACCEPTISSIMI
BENEDICTO XIII.
EIVSDEM ORDINIS PROMOVENTE
TIT. S. AVGVSTINI PRESBYTERI CARDINALIS
MORIBVS ET DOCTRINA SPECTABILIS
CINERIBVS
RESVRRECTIONEM FVTVRAM IVSTORVM
EXSPECTANTIBVS
PATRES CONVENTVS S. DOMINICI DE PERVSIO
MOERENTES ET GRATI PP.
VIXIT ANN. LXXIV. MENS. X. DI. XIX.
OBIIT XXX. MAII MDCCXXIX.

1929 7 12 1655

C A P. LXVII.

De F. Joanne Benedicto Zuannelli.

I. Gregorio Selleri anno MDCCXXVIII. die XXX. Aprilis S.R.E. Cardinali renunciato, delegit mox Benedictus XIII. in ejus locum Sacri Palatii Magiſtrum Fratrem Joannem Benedictum Zuannelli Conventus Ss.Joannis & Pauli Veneti filium, cujus vitam, obitumque egregie expreſſit Vir Cl. P. Bernardus a S. Guilielmo Clericus Regularis Scholarum Piarum in oratione, quam habuit in ejus funere celebrato in Templo S. Mariæ ſuper Minervam, ubi fuit ſepultus. Omiſſa hac Oratione, quæ Romæ typis edita fuit, deſcribendam duximus encyclicam Epiſtolam, quam de ejus obitu ſcripſit ad Fratres, & Sorores ſui Ordinis Prædicatorum Reverendiſſimus Pater ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis Fr. Thomas Ripoll, ubi in compendio ejus vitam habes. Eſt autem hujuſmodi.

In Dei filio ſibi dilectis Fratribus ac Sororibus Ordinis Prædicatorum Nos Fr. Thomas Ripoll Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

Salutem, pias lacrymas, & mortis recordationem.

Ingentem jacturam, quam fecimus in deceſſu Reverendiſſimi Patris Fratris Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, & alumni Conventus Noſtri Sanctorum Joannis, & Pauli Provinciæ Venetiarum, non ſine gravi cordis noſtri ſenſu vobis nunciamus, Fratres in Chriſto dilectiſſimi. Amiſimus enim in ipſo præclarum Ordinis Noſtri lumen, & ornamentum, Virum ſcilicet religioſiſſimum, eximiis ditatum virtutibus, atque omnium exiſtimatione probatiſſimum. Et ſane quantum pro gloria Ordinis Noſtri laboraverit, quantum inſuper de eodem Ordine benemeritus fuerit, neminem veſtrum latere arbitramur. Philoſophiam, ac Sacram Theologiam per plures annos in præfata ſua Provincia Venetiarum edocuit, ſubinde in Studio generali Patavino munera omnia, quæ juxta præ-

Digitized by Google

præſcripta Legum noſtrarum pro gradu Magiſterii ſunt exercenda, & præſertim Præfecturam ejuſdem Studii generalis Patavini ſumma cum laude confecit. Conſiderans autem Vir prudentiſſimus atque piiſſimus, gradum illum Magiſterii, quo inibi fuerat condecoratus, eſſe ſibi collatum, non ad ſui privatum otium, ſed ad publicam Noſtræ, & Chriſtianæ Religionis utilitatem, toto ſtudio, ac omni zelo ſuſcepit munus prædicationis Verbi Dei, ut hac ratione utiliter, & inſervire Ordini, & ſaluti animarum poſſet prodeſſe. Verum ad majora natus, ab incœpto deſiſtere per obedientiam fuit obſtrictus. Vacante ſiquidem officio Bibliotecarii Caſanatenſis ob aſſumptionem Patris Magiſtri Fratris Raphaelis Mariæ Philamundi tunc Bibliothecarii ad Epiſcopatum Sueſſanum, a Reverendiſſimo Prædeceſſore Noſtro Antonino Cloche, apud quem ſummo ſemper fuit in pretio, Romam accerſitus, cuſtodiæ, & adminiſtrationi ejuſdem Bibliothecæ Caſanatenſis præpoſitus fuit. Viginti trium annorum ſpatio munus hoc diligenter exercuit, quo tempore curam omnem, & laborem impendit in inſtruendam, ornandam, atque amplificandam prædictam Bibliothecam, itaut eam tanquam Romanæ magnitudinis æmulam mirentur omnes, atque commendent, vigilantiſſimus Cuſtos, ac fidelisſimus Adminiſtrator, mirum eſt, quanta humanitate exciperet, quotquot ſtudendi gratia in dies adventabant, & quanta ſollicitudine omnibus præſto eſſet; propterea omnium ferme animos ad ſui amorem ac benevolentiam conciliaverat. Has inclytas ejus dotes jampridem perſpectas, probataſque habebat Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIII. pro veteri ſecum neceſsitudine, quam diu coluerat: hinc eſt, quod aſſumpto ad Purpuram Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Fratre Gregorio Selleri, ipſum, plaudente tota Urbe, ad eamdem Magiſterii Sacri Palatii Apoſtolici dignitatem evexit. Hoc novo auctus honore congenitam morum ſuavitatem, atque promptam omnibus benefaciendi voluntatem conſtanter ſervavit, ita ut in tam arduo munere, ac in tanto negotiorum tumultu neminem unquam triſtis exce-

pe-

Digitized by Google

perit, aut triſtem dimiſerit. In hoc obeundo, quod per decem annos ſumma prudentia, & æquitate ſuſtinuit, magis ac magis enituerunt virtutes ejus, præſertim ingenua, qua pollebat, indoles, eximius morum candor, blanda comitas, & ſingularis propemodum benignitas: cunctis proinde ſummis æque ac infimis acceptiſſimus erat, præcipue Sanctiſſimo D. N. CLEMENTI XII. feliciter Regnanti, qui amorem ſuum pluribus Pontificiæ clementiæ, & munificentiſſimæ liberalitatis argumentis eidem ſæpius comprobavit. Dum autem pro certo habebamus, quod diutius viveret, ac Opus ab ipſo elucubratum, eruditione, & pietate refertum, jamque prælo ſuppoſitum perficeret, invida mors nobis eum eripuit. Lento ſiquidem morbo, nec ſatis explorato, atque mira viciſſitudine pleno per ſex menſes excruciatus, ac tandem conſumptus, perceptis de more Eccleſiæ Sacramentis animam Deo reddidit die prima currentis menſis Decembris, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo, maximum Ordini, ac toti Urbi deſiderium ſui moriendo relinquens, Quamvis autem virtutes ejus, ac præſertim mira prorſus, & invicta conſtantia, qua tam diuturnam ac permoleſtam infirmitatem toleravit, quippe qui toto tempore tam prolixæ ægritudinis nec unam emiſerit vocem, qua vel exprimeretur gemitus, aut dolor indicaretur, ſperare nos faciant, jam miſerante Domino cæleſte Regnum fuiſſe conſecutum, præſcriptis tamen Ordinis ſuffragiis, ac veſtris Sacrificiis, & orationibus eumdem ſummopere commendamus, ut ſi qua ſupereſſet ei labes piacularibus flammis eluenda, penitus abſtergatur. Interea monemus Vos, ut tanquam filii lucis ſacris vigiliis operam detis, ne dies Domini, qui teſte Apoſtolo, tanquam fur in nocte ſupervenire ſolet, ſomno demerſos Vos opprimat. Valete, Noſtri ac Sociorum in orationibus veſtris memores. Datum Romæ in Conventu Noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 3. Decembris 1738.

III. Porro peracto ſolemni funere in memorato Minervitano Templo, dictaque in ejus laudem funebri Oratione, ſepultum fuit cadaver in ipſo Templo, poſitaque fuit in

in ejuſdem memoriam marmorea inſcriptio in pavimento ante gradus Sacelli S. Dominici, quæ eſt hujuſmodi, ut a nobis lecta, & deſcripta refertur.

D. O. M.
FR. JOANNI BENEDICTO ZUANNELLI VENETO
ORD PRÆD.
DOCTORI THEOLOGO
QUI QUUM MULTIPLICEM SUAM SCIENTIAM
PER VARIOS HONORIS GRADUS PROBASSET
ET BIBLIOTHECAM CASANATTENSEM
PER ANNOS XXII MAGNA DILIGENTLA
MULTOQUE MAJORE DOCTRINÆ FAMA
ADMINISTRASSET
A BENEDICTO XIII. PONTIFICE O. M.
SAC. PAL. APOST. MAGISTER RENUNCIATUS
DIFFICILEM ILLUSTREMQUE PROVINCIAM
EA RERUM PERITIA MORUMQUE SUAVITATE
TEMPERAVIT
UT QUUM SEPTUAGENARIUS OBIJSSET
VIRI PROBI DOCTI HUMANISSIMI
MORS ACCIDERIT ACERBISSIMA
FRATRES SS. IOANNIS ET PAULI VENETIARUM
CUIUS FAMILIÆ ALUNNUS FUIT
DOLORIS AMORISQUE ARGUMENTUM
CURANTE FR. JOACHIMO MAGISTRO PUCCI
CORAM SS. DNO EPISCOPORUM EXAMINATORE
QUEM ILLE HABUIT IN AMPLISSIMO MUNERE
SOCIUM PERPETUUM
CARISSIMUMQUE
PP.
OBIJT KALEN. XBRIS CIↃ. IↃ CCXXXVIII.

IV. Novimus nos Virum hunc eximium, ſatiſque mirari haud poſſumus, cur neque in recitata ſuperius encyclica epiſtola, neque in Epitaphio mox deſcripto, mentio fiat Epiſcopatus ab ipſo recuſati, cujus alias meminit accuratiſſimus Bremond Tomo VII. Bullarii Ordinis Prædicatorum in Indice Geographico Epiſcopatuum, & Epiſco-

Digitized by Google

ſcoporum, in quo non modo veteres, recentioreſque Fratres ſui Ordinis recenſet, qui Epiſcopatus acceptarunt, verum etiam alios, & quidem non paucos, qui illos præ humilitate recuſarunt.

C A P. LXVIII.

De P. Aloyſio Nicolao Ridolfi.

§. MOrtuo F. Joanne Benedicto Zuannelli, elegit mox Clemens XII. Pontifex in Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici Fr. Aloyſium Nicolaum Ridolfium Florentiæ nobili genere natum, Sacræ Congregationis Indicis Secretarium, Virum doctrina, pietate, ac prudentia inſignem, Viris magnis, ac præſertim tribus Pontificibus Maximis, Benedicto XIII. Clementi XII. & BENEDICTO XIV. feliciter regnanti acceptiſſimo, a quo eximiis privilegiis fuit decoratus, uti liquet ex ejus Diplomate, quod nos inferius referemus. Fuit Ridolfius amicus noſter, noſque ſummopere diligebat, ideoque ne videamur noſtro potius amori erga illum deferre, quam ejus inſigni virtuti, nihil de eo dicemus, niſi quod ab aliis dictum eſt, ac primum quod de eo ſcripſit Vir ingenuus, ac profundæ doctrinæ, & ſpectatæ fidei Antoninus Bremond in ſua ad Bullarium Ordinis Prædicatorum Præfatione pag. LXIV. *Opus iſtud*, inquit, Bullarium nempe Dominicanorum, *edendum ſuſceperat, &, qua eſt diligentia, ſucceſſu proſpero maturabat, ſed immerſus Sacræ Congregationis negotiis*, erat tunc Ridolfius a Secretis Sacræ Indicis Congregationis, *tot alia cingebant, premebant, urgebant ipſum, ut iſtius curam apud me depoſuerit. Hinc eo Magiſtro ſæpius uſus ſum, & tot hac de re beneficiis ipſi ſum devinctus, ut nec enunciare, quantum debeam, nec ſilere, quod ipſi plurimum debeam, poſſim*. Quanti autem, idem Bremond, poſt ſuam ad Magiſterium Ordinis aſſumtionem Ridolfium fecerit, ſatis ſuperque expreſſit in ſua encyclica epiſtola, quam de ejus obitu ad univerſum Prædicatorum Ordinem ſcripſit, quæ eſt hujuſmodi.

In

In Dei Filio ſibi dilectis Patribus, Fratribus, ac Sororibus Ordinis Prædicatorum.

FR. *ANTONINUS BREMOND*

Sacræ Theologiæ Profeſſor ejuſdemque Ordinis univerſi humilis Magiſter Generalis, & Servus.

Salutem, & mortis recordationem.

Etſi de dormientibus in Chriſto Fratribus contriſtari nos minime deceat, ſicut cæteros qui ſpem non habent, juſtus tamen eſt luctus, quem capimus ſane ingentem ex illuſtrium Virorum interitu, qui cum ſint nobis jure ſocietatis, atque Inſtituti conjuncti, ſublimi etiam, editoque in loco poſiti, latius quam in Ordinem ſolum effundunt ſplendorem vitæ, lucemque virtutum. Quo quidem caſu ſumus non ita pridem perculſi, cum die vigeſima quinta hujus Menſis poſt diuturnam cum tabifico, lentoque morbo colluctationem ereptus tandem eſt nobis Reverendiſſimus P. F. Nicolaus Aloyſius Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter. Etſi ætate, nam annum agebat ſeptuageſimum quintum, laboribuſque confectus videretur, faciebat tamen Viri integritas, ſcientia non mediocris, moreſque ad omnem legum noſtrarum diſciplinam compoſiti, ut diutius eum vivere cuperemus, quod ampliſſimo muneri gerendo non impar, eximio eſſet Familiæ noſtræ ornamento, & ſplendori. Is illuſtri genere ortus, quo affinitate Medicæas, atque Corſinias Familias attingebat, præterquam quod fuerat liberaliter, pieque educatus, habebat etiam inter Majores noſtros inſignem, & perenni memoria dignum ex ſua Familia Virum, qui poſſet ad præclara quæque agenda vehementer incitari, clariſſimum nempe Nicolaum Ridolfium Ordinis noſtri Generalem Magiſtrum. Hunc adoleſcens ad imitandum ſibi propoſuit, preſſamque ab illo mature arripuit virtutis viam; quæ etenim liberaliter a Deo acceperat fortunæ, ac naturæ beneficia, eadem virili contemptu poſthabuit, ut ab humanæ militiæ ſtipendiis ad Chriſti vexilla in noſtris ſe ſe caſtris traduceret. Romæ itaque cum natus eſſet, in Ordinem cooptatus eſt, atque in Minervitano Cœnobio religioſæ vitæ tyrocinium poſuit, quo rite ab-

Digitized by Google

perit, aut triſtem dimiſerit. In hoc obeundo, quod per decem annos ſumma prudentia, & æquitate ſuſtinuit, magis ac magis enituerunt virtutes ejus, præſertim ingenua, qua pollebat, indoles, eximius morum candor, blanda comitas, & ſingularis propemodum benignitas: cunctis proinde ſummis æque ac infimis acceptiſſimus erat, præcipue Sanctiſſimo D. N. CLEMENTI XII. feliciter Regnanti, qui amorem ſuum pluribus Pontificiæ clementiæ, & munificentiſſimæ liberalitatis argumentis eidem ſæpius comprobavit. Dum autem pro certo habebamus, quod diutius viveret, ac Opus ab ipſo elucubratum, eruditione, & pietate refertum, jamque prælo ſuppoſitum perficeret, invida mors nobis eum eripuit. Lento ſiquidem morbo, nec ſatis explorato, atque mira viciſſitudine pleno per ſex menſes excruciatus, ac tandem conſumptus, perceptis de more Eccleſiæ Sacramentis animam Deo reddidit die prima currentis menſis Decembris, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo, maximum Ordini, ac toti Urbi deſiderium ſui moriendo relinquens, Quamvis autem virtutes ejus, ac præſertim mira prorſus, & invicta conſtantia, qua tam diuturnam ac permoleſtam infirmitatem toleravit, quippe qui toto tempore tam prolixæ ægritudinis nec unam emiſerit vocem, qua vel exprimeretur gemitus, aut dolor indicaretur, ſperare nos faciant, jam miſerante Domino cæleſte Regnum fuiſſe conſecutum, præſcriptis tamen Ordinis ſuffragiis, ac veſtris Sacrificiis, & orationibus eumdem ſummopere commendamus, ut ſi qua ſupereſſet ei labes piacularibus flammis eluenda, penitus abſtergatur. Intereà monemus Vos, ut tanquam filii lucis ſacris vigiliis operam detis, ne dies Domini, qui teſte Apoſtolo, tanquam fur in nocte ſupervenire ſolet, ſomno demerſos Vos opprimat. Valete, Noſtri ac Sociorum in orationibus veſtris memores. Datum Romæ in Conventu Noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 3. Decembris 1738.

III. Porro peracto ſolemni funere in memorato Minervitano Templo, dictaque in ejus laudem funebri Oratione, ſepultum fuit cadaver in ipſo Templo, poſitaque fuit in

Digitized by Google

in ejuſdem memoriam marmorea inſcriptio in pavimento ante gradus Sacelli S. Dominici, quæ eſt hujuſmodi, ut a nobis lecta, & deſcripta refertur.

D. O. M.
FR. JOANNI BENEDICTO ZUANNELLI VENETO
ORD PRÆD.
DOCTORI THEOLOGO
QUI QUUM MULTIPLICEM SUAM SCIENTIAM
PER VARIOS HONORIS GRADUS PROBASSET
ET BIBLIOTHECAM CASANATTENSEM
PER ANNOS XXII MAGNA DILIGENTIA
MULTOQUE MAJORE DOCTRINÆ FAMA
ADMINISTRASSET
A BENEDICTO XIII. PONTIFICE O. M.
SAC. PAL. APOST. MAGISTER RENUNCIATUS
DIFFICILEM ILLUSTREMQUE PROVINCIAM
EA RERUM PERITIA MORUMQUE SUAVITATE
TEMPERAVIT
UT QUUM SEPTUAGENARIUS OBIJSSET
VIRI PROBI DOCTI HUMANISSIMI
MORS ACCIDERIT ACERBISSIMA
FRATRES SS. IOANNIS ET PAULI VENETIARUM
CUIUS FAMILIÆ ALUNNUS FUIT
DOLORIS AMORISQUE ARGUMENTUM
CURANTE FR. JOACHIMO MAGISTRO PUCCI
CORAM SS. DNO EPISCOPORUM EXAMINATORE
QUEM ILLE HABUIT IN AMPLISSIMO MUNERE.
SOCIUM PERPETUUM
CARISSIMUMQUE
PP.
OBIJT KALEN. XBRIS CIↃ. IↃ CCXXXVIII.

IV. Novimus nos Virum hunc eximium, ſatiſque mirari haud poſſumus, cur neque in recitata ſuperius encyclica epiſtola, neque in Epitaphio mox deſcripto, mentio fiat Epiſcopatus ab ipſo recuſati, cujus alias meminit accuratiſſimus Bremond Tomo VII. Bullarii Ordinis Prædicatorum in Indice Geographico Epiſcopatuum, & Epiſco-

1734 / 70 / 1168

Digitized by Google

In Dei Filio ſibi dilectis Patribus, Fratribus, ac Sororibus Ordinis Prædicatorum.

FR. ANTONINUS BREMOND

Sacræ Theologiæ Profeſſor ejuſdemque Ordinis univerſi humilis Magiſter Generalis, & Servus.

Salutem, & mortis recordationem.

Etſi de dormientibus in Chriſto Fratribus contriſtari nos minime deceat, ſicut cæteros qui ſpem non habent, juſtus tamen eſt luctus, quem capimus ſane ingentem ex illuſtrium Virorum interitu, qui cum ſint nobis jure ſocietatis, atque Inſtituti conjuncti, ſublimi etiam, editoque in loco poſiti, latius quam in Ordinem ſolum effundunt ſplendorem vitæ, lucemque virtutum. Quo quidem caſu ſumus non ita pridem perculſi, cum die vigeſima quinta hujus Menſis poſt diuturnam cum tabifico, lentoque morbo colluctationem ereptus tandem eſt nobis Reverendiſſimus P. F. Nicolaus Aloyſius Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter. Etſi ætate, nam annum agebat ſeptuageſimum quintum, laboribuſque confectus videretur, faciebat tamen Viri integritas, ſcientia non mediocris, moreſque ad omnem legum noſtrarum diſciplinam compoſiti, ut diutius eum vivere cuperemus, quod ampliſſimo muneri gerendo non impar, eximio eſſet Familiæ noſtræ ornamento, & ſplendori. Is illuſtri genere ortus, quo affinitate Medicæas, atque Corſinias Familias attingebat, præterquam quod fuerat liberaliter, pieque educatus, habebat etiam inter Majores noſtros inſignem, & perenni memoria dignum ex ſua Familia Virum, qui poſſet ad præclara quæque agenda vehementer incitari, clariſſimum nempe Nicolaum Ridolfium Ordinis noſtri Generalem Magiſtrum. Hunc adoleſcens ad imitandum ſibi propoſuit, preſſamque ab illo mature arripuit virtutis viam; quæ etenim liberaliter a Deo acceperat fortunæ, ac naturæ beneficia, eadem virili contemptu poſthabuit, ut ab humanæ militiæ ſtipendiis ad Chriſti vexilla in noſtris ſe ſe caſtris traduceret. Romæ itaque cum natus eſſet, in Ordinem cooptatus eſt, atque in Minervitano Cœnobio religioſæ vitæ tyrocinium poſuit, quo rite

Digitized by Google

abſoluto, votiſque Deo nuncupatis ad celeberrimam Salmanticenſem Academiam in Hiſpaniam ſtudiornm cauſſa miſſus eſt, ubi Philoſophiæ, ac Theologiæ operam dedit magna contentione, ac diligentia. In Italiam reverſus impoſitum ſuſcepit docendi munus, eoque Florentiæ primum, deinde Romæ ad ſupremum uſque Regentis hujus noſtri S. Thomæ Collegii gradum ſumma cum laude functus eſt. In eo vero, eum in cæteris muneribus ita doctrinam cum pietate conjunxit, ut ſtudiorum ardor eum ab amore virtutum, ac religioſæ vitæ exercitationibus diſtraxerit nunquam, vel abduxerit. Magiſterii Lauream conſequutus, in Sacra Indicis Congregatione Conſultor fuit; ſed paulo poſt cum ejus merita ſingularem apud omnes ei exiſtimationem conciliaſſent, valuere inprimis apud Principes Viros Vincentium Mariam Urſinium Ordinis noſtri, & Laurentium Corſinium S. R. E. Cardinales, quorum uterque P. M. fuit virtutiſque æſtimator æquiſſimus. Itaque a Benedicto XIII. primum ejuſdem Sacræ Indicis Congregationis a Secretis, mox Recinetenſis, ac Lauretanus Epiſcopus renunciatus eſt. Sed priorem ille dignitatem veluti domi partam, & a vitæ religioſæ conſuetudine minime alienam non invitus accepit: Epiſcopalem ut acciperet, ne ab ipſo quidem Promotore Pontifice, eodemque hortatore ſuaderi potuit, quod a ſuſcepto vitæ inſtituto avelli non pateretur. At vero Johanne Benedicto Zuanellio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro vita functo, ſumma omnium gratulatione eidem ſucceſſor in ampliſſima dignitate a Clemente XII. deſignatus eſt. Utroque autem in munere præconceptæ de ſe expectationi apprime reſpondit, ac tanta fide, diligentia, zelo, integritate utrumque geſſit, quam qui optime abſoluteque gerere potuiſſet. Quicumque eo uſi ſunt, ſenſere candidum, ſine fuco, recti, verique amatorem, ex uno æquitatis arbitrio omnia metientem, aperientemque ſine ſimulatione animi ſui ſententiam. Eo autem ab omnibus, cumprimis vero a Sanctiſſimo eodemque ſapientiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. commendatiſſimus fuit, quod in Apoſtolico Palatio ita verſaretur, ut in domeſtico Cœnobio, nihil in victu,

ctu, & veſtitu, & omni reliquo vitæ apparatu unquam admittens quod non religioſam exhiberet modeſtiam, temperantiam, paupertatem. Fuit enim ſemper ſeverioris diſciplinæ amantiſſimus ſervator & cuſtos, atque in omni vita perfectiſſimam ejus formam expreſſit. Cum ea vero ſeveritate ſummam adjunxit morum facilitatem, & contra ac ſpecies exterior ſubauſtera polliceretur, religioſam in omnes comitatem, ut externis juxta ac domeſticis hoc nomine probatiſſimus foret. Jam vero in ſupremo morbo nullum prætermiſit Chriſtianæ pietatis officium, quo ſe ad æternitatis iter religioſiſſime compararet. Nam omnibus Eccleſiæ myſteriis ſemel, iterumque, cum brevi convaluiſſe videretur, magno Fidei, & Charitatis ardore petitis, iiſdemque rite initiatus, divinæ ſe ſe prorſus volantati, ſuaque omnia, de quibus ex Pontificio indulto Teſtamentum ſcribere potuiſſet, Magiſtri Generalis arbitrio permittens, quantum ex anteacto vitæ curſu conjicere licet, ad laborum, virtutumque ſuarum præmia placidiſſima morte migravit. Reliquum eſt, ut qui ob egregia in Ordinem *noſtrum merita maximum reliquit deſiderium ſui, eidem, quod unum ſupereſt, mutui amoris, pietatiſque ſubſidiis opitulemur. A vobis itaque ea Sacrificia, & precationes, quæ more, inſtitutoque* Ordinis *Noſtri denatis Magiſtris Sacri Palatii impendi debent, enixe pro ejus anima flagitamus, ut elutis, ſi quæ illi hæſerint, mundani pulveris ſordibus, perennis vitæ beatitatem quamprimum aſſequatur. Jam vero domeſticis eruditi caſibus, ac funeribus moniti, recogitate Fratres, quod* præterit figura hujus Mundi, *appropinquat autem, ac latenter feſtinat dies illa, quæ* cum advenerit, vanitatis arguentur præterita. *Cavete, ne incautos vos occupet, atque imparatos. Vivite ergo quaſi quotidie morituri; tanto enim ſecurius extremam horam videbitis, quanto diligentius eam timendo prævenietis. Valete Noſtri, Sociorumque memores in Sacrificiis, & precationibus veſtris.*

Datum Romæ ex noſtris Minervitanis Ædibus die 27. *Aprilis* 1749.

 II. Obiit

Digitized by Google

II. Obiit Ridolfius VII. Kal. Maji MDCCXLIX. ſolemnique funere ſepultus fuit in Templo Cœnobii S. Mariæ ſuper Minervam, cujus erat alumnus, & amantiſſimus, ut teſtantur inſignia beneficia Cœnobio ipſi, & Eccleſiæ ab eodem collata; unde non mirum, ſi ejus collegæ marmoream inſcriptionem in perenne grati animi monumentum in eadem Eccleſia poni curarunt, quæ eſt hujus tenoris.

D. O. M.
FR. ALOYSIO . NICOLAO . RODULPHIO
FLORENTINO
ORDINIS . PRAEDICATORUM
SACRAE . INDICIS . CONGREGAT. A . SECRETIS
ET . SACRI . PALATII . APOSTOLICI . MAGISTRO
VIRO . OB . EGREGIAM . VIRTVTEM
REM . QVÆ . IN . VTROQVE . MVNERE . FVNGENDO
BENE . GESTAM
BENED. XIII. CLEM. XII. ET . BENED. XIV.
PONTIFICIBVS . MAXIMIS . ACCEPTISSIMO
FF. PRAEDIC. COENOBII . S. MAR. SVP. MINER.
COLLEGAE . BENEMERENTI . FECERVNT
OBIIT . VII. KAL. MAII
AN. MDCCXLIX. AETATIS . LXXV.

III. Quis & qualis fuerit Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfius, ſeu Rodulphius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, abunde nos docet Oratio funebris de ejus vita religioſa, & rebus egregie geſtis habita in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam, ubi in alto feretro Ridolfii cadaver jacebat ſexto Kal. menſis Maji anno MDCCXLIX. a Viro erudito P. Bernardo a S. Gulielmo Clerico Regulari Scholarum Piarum, quam nos operæ pretium duximus hoc loco deſcribere, ne lapſu temporis earum rerum memoria, quas prudenter geſſit Ridolfius, ſicut non paucis ejus prædeceſſoribus accidit, in oblivionem abiret. Redargui negligentia Dominicanorum poſſet, ſed excuſandi hi tamen, cum tot ac tanti ſint Prædicatorum Ordinis Viri illuſtres, ut ad ſcribenda illorum geſta vix multi Libri ſufficerent. Sed his omiſſis, prædicta Oratio funebris hæc eſt.

Unum

Digitized by Google

UNum diei hujus luctum ac mœrorem levare debet valdeque imminuere, Auditores ornatiſſimi, quod nimirum vocamur ad funus celebrandum, quod quieti ſomnoque ſimilius eſſe videtur, quam morti fataliſſimæ illi rerum humanarum ruinæ atque oblivioni. Angitur animo, doletque acerbe vir amans veritatis, qui ad ſuperſtites dicturus nihil habet in mortuo, quod vere dicat, niſi curſum vitæ molliter, otioſe, inutiliter traductæ; utque ſatisfaciat officio, debeat, non quæ facta fuerint, ſed quæ facienda erant, comminiſci. Fugiendum erat hoc ſeculum nequam, quod ſibi adhærentes conſpergit ſæpe immundo pulvere, æterniſque maculis; aut in eo ſaltem ita commorandum, ut in hoſtibus mediis, quos vir bonus, ſapienſque nunc ſtratagemate decipit, nunc aperta vi depellit, ſemper cavet, ſemper pavet conſcius fragilitatis ſuæ, perpetuoque recolens cum D. Auguſtino, nihil aliud eſſe vitam, quam continuum curſum ad mortem. Erant fugiendæ voluptates, contemnendæ opes, vitanda rerum faſtigia: erant ſuſcipiendi pro Deo, hominibuſque labores, ferendæ patienter moleſtiæ, conſtanter vincendæ omnes cupiditates: erat uno verbo vita ducenda Chriſtiano nomine digna, quæ nempe in pietate, in ſobrietate, in continentia, in integritate contineretur, aut in pœnitentia ſaltem eorum, quæ contra haſce virtutes admiſſa fuiſſent. Quibus multa ex his, aut etiam omnia deficiant laudatoribus mortuorum, quo ſe vertant, qua ſatis arte polleant, ut quod in vita plane vituperandum fuit, in morte laudandum eſſe videatur? Gratias ago Deo Immortali, qui Virum, quem commendo, deduxit per vias rectas: gratias vobis ago, Sacri hujus Cœnobii Venerabiles Incolæ, qui me conſtitueritis animi, ac doloris veſtri interpretem in obitu Hominis ejus, cujus longa vita, res præclare geſtæ, munera ſolicite, prudenter, integre adminiſtrata magis, quam verba dicentis funebrem Orationem fidenter exordiantur honorificeque perficiant. Loquor in Templo hoc ſacratiſſimo, in hac Urbe æterna, in hoc præclariſſimorum virorum cœtu, eoque, ut videtis, frequentiſſimo; loquor coram Deo, cujus tribunal heri hora decimaquarta pene ſui compos, munitus Sacramentis omnibus, precibus omnium adjutus, multis eo lacrimis deductus adiit recepturus pro meritis, bonis quidem, ut in divina liberalitate confido, ut confido in religioſa Viri probitate, Reverendiſſimus Pater NICOLAUS RIDOLFIUS Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum. Quicumque adeſtis, noſtis Nicolaum Ridolfium, alii fraterno contubernio, alii officii neceſſitudine, alii amicitia & conſuetudine, ceteri omnes

no-

nomine familiæ, & ſplendore dignitatis. Hoc ſane me maxime recreat, ac reficit; nam quæ pro temporis brevitate animum meum fugient, vobis ipſi in memoriam revocabitis: quæ autem narrando dicam, extenuare me potius præ imbecillitate mea putabitis, quam augere quidquam, aut ſuper veritatem extollere. Conſolamini itaque invicem, Patres Religioſiſſimi, nec contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Patrem enim amiſiſtis, cujus ſi corpus intuemini gelidum, pallens, miſere immutatum, lugendus eſſe videatur: ſi ſpiritum, ſi animum, ſi virtutem, rem profecto immortalem intuemini, quæ & Familiæ veſtræ magnum decus, &, quod faxit Deus, novum Cælo incolam polliceatur. Adeſte igitur animis, & rudem incultamque orationem pro veſtra in mortuum pietate, & nota in me benignitate æqui conſulite ac ſublevate.

Natus eſt Romæ Nicolaus Ridolfius anno a Chriſti Nativitate milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto oriundus Florentia ex gente Ridolfiorum, quam & antiquitas generis & armorum togæque ſplendor & primariæ Eccleſiæ dignitates & affinitates cum principibus familiis, ac præcipue iteratæ cum Corſinis & Mediceis præſtantiſſimam efficiunt atque præclariſſimam. In faſtis Ordinis Prædicatorum hæc rem noſtram ſpectantia recitare hic utrinque eſt honorificentiſſimum. Anno 1629. in Capitulo Generali Romano electus eſt in Magiſtrum Ordinis quinquageſimum quintum Frater Nicolaus Ridolfius Florentinus Leonis Papæ Undecimi ex ſorore pronepos, qui tum Magiſtri Sacri Palatii & Vicarii Ordinis munere fungebatur. Vir ſummis animi dotibus exornatus ac verus parens Ordinis. Hæc in faſtis. Is nempe, qualem decet eſſe ſucceſsorem Magni Dominici de Gusman, & illuſtriſſimi ampliſſimique Ordinis Moderatorem. Recens adhuc erat nomen celebriſque fama tanti tamque excellentis Patrui, quum Nicolaus noſter ortus eſt, & adolevit. Hunc ſibi ille a puero propoſuit ex majoribus ſuis, quem ſicuti genere ac nomine referebat, ita & virtute & inſtituto vitæ ac profeſſione imitaretur & reſtitueret. Sortitus eſt Nicolaus Ridolfius animam bonam, eamque vel a teneris unguibus præſetulit morum gravitatem, qua puerorum ludos, nugas, crepundia facile contemneret, ac repudiaret. Oderunt plerumque pueri laborem, communem illam pœnam, ſed ignotam illis, inflictam delicto primorum parentum, metuunt ſtudia litterarum, faſtidiunt exercitia pietatis: ſponte autem natura garriunt, ſaliunt, nugantur, comeſſantur, dormiunt; ut qui eos inſtituunt, ſi bonos, promiſſis ac muneribus, ſi pervicaces, minis & ca-

caſtigationibus debeant eos ad virtutem aut allicere, aut cogere. Quamquam coacti ſpem bonæ frugis ſæpe omnem expertis eripiunt. Non autem tanti ſtetit parentibus ſuis, aut inſtitutoribus Marchio Nicolaus Ridolfius, qui modeſtus, docilis, quietus, perſpicax autem, conſtans, ingenioſus facile proſequutus eſt ea ſtudia, quibus puerilis ætas informari ſolet, egregie artes eas didicit, quibus nobilitas ſolet expoliri, atque exornari. Inſtabat jam ætas illa, qua ſolet malitia mutare intellectum, quaque juniores excuſſo timoris, ac reverentiæ erga majores jugo, incipiunt ſenſim declinare in vitia, ſequuti pondus naturæ, quæ prona eſt in malum ab adoleſcentia ſua, aut formati ad conſilia & exempla ſociorum: qui ſi improbi malo fato bonis adhæſerint, quin eis picem ſuam, atque adeo exitialem peſtem affricent, ſecundum S. Spiritus monitum, non eſt dubitandum. At properavit Deus educere de medio iniquitatum Ridolfium noſtrum, cui quam mentem dederat a puero, ut poſt paternam domum, ſcholaſque, Templum hoc potiſſimum coleret ac veneraretur, poſt exhibita domi ſuis officia, religioſos hujuſce Familiæ Viros amice conveniret, audiret attente timorem Domini inculcantes, ſequeretur confidenter in via ſalutis præeuntes: mentem, inquam, eam Deus promovit ac perfecit anno ætatis ejus decimo ſexto, quo eum ſignis minime dubiis in Ordinem Prædicatorum advocavit. Non enim eum amor parentum, non claritudo familiæ, non opulentia gentis, non ſpes dignitatum, non illecebra voluptatum punctum temporis ab perficiendo propoſito remorari potuerunt.

Rident quandoque leves voluptuoſique homines, & puſilli aut animi, aut ingenii accuſant, qui ſeſe vitæ hujus noſtræ inſtituto dedunt: illi tamen quum mors properat, reditque cogitatio anteactæ vitæ, qualis vitæ, Deus bone! laudant jam religioſam vitam, nihil magis optant, qua a religioſis viris circumſæpiri ac juvari, nihil magis quam religioſis veſtibus ſaltem poſt mortem indui ac circumferri: perinde ac ſi veſtes, quæ vivum non faciunt Monachum, mortuum facerent, aut quidquam tegere poſſent oculis iis, qui intuentur cor, & renes ſcrutantur. O mors! bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus: mentis nempe, quæ obfuſcata inani lumine fallacium bonorum, ſero nimis videt ubi vera, ubi unica, ubi æterna bona ſint conſtituta. Et profecto ſi fuiſſet Nicolaus Ridolfius & Senator & pater multorum liberorum, aut dominus plurium fundorum & pagorum, aut ductor exercituum, aut gubernator urbium & provinciarum, quæ omnia heri nomina evanuiſſent, tanta ego fiducia eum

eum laudarem hodierna die apud vos, tanta mihi dicendi fide, tanta facilitate crederetis? Multa peccare ſolent multis negotiis occupati, multis opibus ditati, multa potentia diſtenti. Porro unum eſt neceſſarium, quod ii, quos dixi, ſæpe ultimo loco habent, & quandoque nullo. Tanta amatores mundi capit ſui rerumque cœleſtium oblivio. Ad unum hoc totum ingenium, totas vires contuliſſe viſus eſt Nicolaus Ridolfius, quum in Conventu hoc S. Mariæ ſupra Minervam mutans pretioſas veſtes cum humilibus hiſce, quæ tamen honeſtiſſimæ ſunt ac decentiſſimæ, exuit veterem hominem, eumque induit, qui ſecundum Deum creatus eſt.

Creati ſunt quidem ſecundum Deum Filii Magni Patriſſamilias S. Dominici, qui veſtigiis ejus perpetuo inhærentes vitæ ſanctitatem cum urbanitate, auſteritatem cum lenitate, doctrinam cum humilitate, auctoritatem cum comitate perpetuo conjunxerunt. Hæc illa eſt Turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: Clypeis hiſce, videlicet Alberto Magno, Thoma Maximo, Cardinalibus, Hugone, Frangipane, Cajetano, Doctoribus, Melchiore Cano, Durando, de Granata, de Martyribus, Dominico Soto, Natali Alexandro, Amato Graveſonio, quis omnes vel numerando recenſeret? Quatuor Romanis Pontificibus, Innocentio V. ſapientia, B. Benedicto XI. humilitate, S. Pio V. fortitudine, Benedicto XIII. contemtu ſui ac mundi ſempiterna memoria celebrandis. S. R. E. ſexaginta ampliſſimis Cardinalibus; tot denique Eccleſiarum Præſulibus, imo pluribus, quam ſint in Orbe terrarum Diœceſes; hiſce inquam, Clypeis, aliiſque prope infinitis hac in officina procuſis tuta eſt contra hoſtes Eccleſia: hanc armaturam, rei ſanctitati cedat hic latina ſeveritas, Roſarium videlicet Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſumentes Chriſti-fideles tartareos terrenoſque hoſtes vincunt, aut in fugam conjiciunt: hanc ad turrim hæcque propugnacula confugientes tuti ſunt ab errorum hæreſumque monſtris, eoque, ita dicam, uberi commeatu fruuntur, quo ſpiritus inopia, & exiguæ quæque in pietate vires abunde ſublevari poſſint, planeque redintegrari. Viget adhuc in concionibus S. Dominici zelus, in cathedris inconcuſſa S. Thomæ doctrina, in Eccleſiaſticis legibus & Canonibus S. Raimundi ſcientia in converſatione gentis S. Hyacinthi odor integritatis, in ſuggeſtis S. Vincentii eloquentia, in conſiliis S. Antonini ſapientia, in regulis S. Ludovici Bertrandi obſervantia, in propaganda Fide, tuendaque Eccleſia S. Petri Martyris conſtantia: nam clamat adhuc de terra recenter fuſus ſanguis Prædicatorum apud Sinas,

quem,

quem, ut olim ſolebant majores noſtri, augurari nemo unus nunc dubitat, futurum ſemen ampliſſimæ meſſis Chriſtianorum.

Sed jam illuc redeo, unde me pene imprudentem longius abſtulerat mea in ſanctiſſimam Religionem reverentia, atque æſtimatio. Qui ei nomen dedit, quo animo fuerit, quo conſilio, facile cuique eſt conjicere: eo videlicet, quo eſt nobilis, & ſapiens juvenis, qui quod ſibi onus volens libenſque imponit, decernit eſſe cum honore ſuſtinendum. Suſtinuit ſane per annos ſexaginta, & quidquid domi S. Fundatoris leges jubent, pro virili parte obſervavit, quidquid foris laborioſum habet Ordo, quidquid præclarum atque honorificum, geſſit cum laude & decore. Adeo acres ſtimuli ſunt cordato homini ſociorum alacritas, & exempla majorum. Quid primum dicam, quid poſtremum, non ſatis video. Multa enim ſunt religioſæ vitæ officia, quæ ſeſe mihi ſimul objiciunt univerſa. Teſtor vos primum, ſacræ hujus Templi Aræ, vos teſtor ſancti hujus Cœnobii parietes, qui tyronem vidiſtis, qui rite religioſeque Sacris quotidie operantem ſpectaviſtis, qui denique extinctum nobiſcum lugere videmini. Qua erat modeſtia, qua humilitate, qua obedientia? quam fervide, quam alacriter obibat juſſa quæque miniſteria? quam dextere, quam diligenter perficiebat? Bonum eſt viro, qui jugum, quod portare cœpit ab adoleſcentia, non detrectavit ne in dignitatibus quidem, neque in adverſa valetudine. Quandiu enim in hoc Cœnobio fuit, fuit autem diuturniori parte vitæ, ad nocturnas preces ſurrexit, diurnis interfuit, nullum niſi graviſſimum negocium, nullam occupationem ſtatis exercitiis Religionis unquam præpoſuit. Septem fere menſes proxime elapſos ægrotavit ſenex pluſquam ſeptuagenarius, & quamquam mitiſſima ſit S. Dominici Regula, nulloque peccato adſtringat, qui eam aliqua in parte, cauſa tamen honeſta, prætereat, nihilominus quod juſſa ſint ſacri Adventus jejunia, toto ultimo Adventu jejunavit, quod præceptæ ſint interiores veſtes laneæ, laneas veſtes cum lineis nunquam commutavit. Qui in his minoris momenti rebus adeo diligens ſolerſque fuit, qualis quantuſque fuerit obſervator in magnis, quiſque poteſt ex ſe ipſe intelligere. Qui enim fidelis eſt in minimo, inquit Chriſtus, & in majori fidelis eſt. Sed hæc fortaſſe loco alio repetemus: jam ad tyronem noſtrum redeamus. Excultus & probatus non levi quidem aut remiſſo tyrocinio ad vota ſolemnia admiſſus eſt omnibus Patrum ſuffragiis. Moderator autem ſupremus Ordinis, qui juvenis indolem ingeniumque penitus perſpexerat, Salmanticam eum miſit, nempe ad eam totius Hiſpaniæ celeberrimam Academiam,

Digitized by Google

in qua bonæ artes & omnes ſcientiæ videntur ſedem ſuam collocaviſſe. Mirati ſunt Hiſpani in Italo juvene parem pietati perſpicacitatem, par facultatibus omnibus ingenium. Perſequi ſingula hic tempus non ſinit. Quantum vero ibi profecerit, illud ſatis declarat, quod reducem in Italiam idoneum jam maturumque ad omnia Ordinis miniſteria Patres conſcripti judicaverunt. Philoſophiam ac Theologiam primum Florentiæ tradidit æque magno auditorum concurſu, atque progreſſu: tum Romæ Moralem Theologiam docuit, deinde veluti per gradus hinc probitate, illinc doctrina fultus & ornatus conſcendit, nunc ſtudiorum Præſes renunciates, nunc, ut dicunt, Baccalaureus, nunc ſecundus Theologiæ Lector in ampliſſimo hoc Collegio, tandem Regens, qui ſupremus gradus eſt apexque litterariæ dignitatis. Quæ omnia non tam Nicolai Ridolfii doctrinam, ac ſapientiam teſtantur, quam prudentiam, & æquitatem optime adminiſtrati Ordinis, qui pro meritis ac laboribus ſuorum haſce eis provincias, hoſce honores juſte decernat, meritoque impertiatur. Nam is Ordo perſeverat floretque magis quotidie, in quo ſua bonis præmia, ſuæ malis pœnæ conſtantiſſime decernuntur.

Huic tali tantoque Viro Sanctiſſimus Benedictus XIII. P.M. Ordinis Prædicatorum Fratri ſuo amantiſſimo Recinetenſem, ac Lauretanam Eccleſiam regendam deſtinaverat. Plaudebant deſtinato amici omnes, omnes congratulabantur. Quid cauſæ fuit, quod grex ille dilectus Deo & Matri Mariæ Virgini tam bono Paſtore caruerit? quid obſtitit? quid bonorum omnium vota intercepit? Virtus illa eximia, quam didicit a primo omnium Magiſtro Chriſto Domino Ridolfius: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Fugit enim Chriſtus, quum cognovit, quod venturi eſſent primores populi, ut facerent eum Regem. Audito Epiſcopalis dignitatis nomine, fugit & Nicolaus in interiorem animi ſui ſenſum, tamque indignum ſeſe honore hoc reputavit, quam digniorem efficiebant plurima hominis ornamenta, & hic potiſſimum, ſi ornamentis ceteris caruiſſet, contemtus ſui & fuga ab honoribus a Sanctiſſimo Pontifice oblatis. Rogavit, obſecravit, fategit undecumque Vir in ſententia conſtantiſſimus, ne ſe in cruce hac amicus Pontifex figeret. Exauditus eſt, mox tamen communiori bono promovendus ad alios Magiſtratus.

Præter Commiſſarium Sacræ Romanæ Inquiſitionis, quod munus ad orationem hanc non ſpectat, ſuſtinet autem digniſſimus Vir qui ab omnibus honoris gratia nominetur Reverendiſſimus P. Alexander Pius Saulius Eminentiſſimi Cardinalis Lucini ſucceſſor ſtre-

ſtrenuuſque virtutis ejus æmulator: duæ ſunt Dignitates præclariſſimæ in Ordine Prædicatorum extra Ordinem Ipſum ſuſtinendæ: altera a Secretis Sacræ Congregationis Indicis, altera Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici, utraque Familiæ huic ab Romanis Pontificibus perpetuo collata ſingularia ob merita zelumque planeApoſtolicum Majorum ſuorum. Nemo qui Litteras novit, nemo qui Fidem, qui bonos mores, qui debitam Principibus reverentiam, ignorat, quanti utraque ponderis ſit, atque momenti: quippe quarum altera de editis, altera de edendis libris dijudicat. Accedunt ad hanc ſacri Ritus expendendi, ponderandæ Indulgentiæ, venientes ad Clerum, & vocati ad Epiſcopatum examinandi, omnia denique, quæ jus ampliſſimum cognitionemque ſpectant Theologi Romani Pontificis. Quis quantuſque vir eſſe debet, qui tot tamque delicatis muneribus præficitur? Quanta in eo ſcientia requiritur, quanta rerum, hominumque notitia, qui de rebus omnibus, quæ ſcribi poſſunt de omnibus ſententiis, quæ tot tamque diverſa capita concipiant edantque, debeat judicare ac ſtatuere? quanta auctoritas in iis Magiſtratibus! quanta amplitudo! quantus vero labor, quanta ſolicitudo! Ceteris Magiſtratibus rerum humanarum curæ committuntur ac dividuntur; huic videlicet ærarii, illi annonæ, uni fluminum ac riparum, alii ædium ac viarum: Cenſori autem committitur cura Morum & Religionis. Quantum autem divinæ res humanis præſtant, tantum in Chriſtiana Republica Dignitas hæc ceteras ſuperat atque antecellit. Prævertitis jam cogitatione, Auditores, laudem vel maximam Reverendiſſimi Patris Nicolai Ridolfii, in quem duo ſuperiores Pontifices graviſſima hæc munera contulerunt. Nam judicium de eo ſapientiſſimorum Pontificum, Benedicti XIII. qui eum a Secretis Indicis, & Clementis XII. ejus affinis, qui Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici renunciavit, ſatis demonſtrat, fuiſſe eum dignum hominem, qui inter ſexcentos Prædicatores rerum harum peritiſſimos ſummoſque Theologos potiſſimum ſeligeretur. Mirentur in eo alii prudentiam, ac ſapientiam: alii diligentiam, ac ſedulitatem: hi vim animi, & robur corporis ad hæc uſque tempora infracti tot laboribus & negociis: illi denique attentionem, ſingularemque patientiam in audiendis cum ſapientium, tum inſipientium tot precibus, dubiis, poſtulationibus: ego vero illud primum ſuſcipiendum, maximeque laudandum eſſe contendo, quod quibuſdam ineptis rerum judicibus viſum eſt fortaſſe moroſum ac ſubduriuſculum. Si ullibi periculoſa eſt facilitas, in iis, de quibus hic agimus, muneribus delinqueret graviter, magnoque poſſet Chriſtianæ rei eſſe detrimento. Se-

Dd 2 det

det Religionis Judex Deo, ejuſque in terris Vicario Romano Pontifici rationem redditurus omnium, quæ ad ejus tribunal deferuntur, expenduntur, ſtatuuntur. Huc appellunt ex Urbe prope infinita, atque adeo ex orbe terrarum univerſo omnis conditionis, omnis nationis homines varia quique pro opportunitate rerum ſuarum poſtulantes: hos inter frequentiſſimi ſunt, qui facultatem petunt legendi libros prohibitos, non pauci edendi ſuos, aut introducendi adventitios. Quicumque veſtrum, Auditores ſapientiſſimi, ſediſſet loco Nicolai Ridolfii, nullo examine, nullo diſcrimine his edendi, aut introducendi, illis legendi atque evolvendi omnia plena manu poteſtatem feciſſet? Feciſſet legendi quidquid collibuiſſet, imberbibus quibuſdam in vetitum nitentibus, aut etiam provecta ætate hominibus quadam doctrinæ farina conſperſis, nec ſatis morigeris, qui utrique, ſi verum dicere, & audire non piget, fuiſſent potius ad Catecheſim, Chriſtianorumque puerorum diſciplinam remittendi? Feciſſet poteſtatem edendi in lucem quidquid ſcribendi veniſſet in mentem doctis quidem multis, qui tamen ignorant ſæpe quid ſacra, quid profana deceat, quid quantumque Deo, quid quantumque publicæ quieti, atque honeſtati ſit tribuendum? Introducendi volumina illa, quæ ſicuti ſæpe lana longe advecta corporum, ita hæc certiſſimam peſtem invehant animorum? Quum a Judice ſeculorum inter virtutes alias præmium maxime conſequutura ſit fidelitas, tum eum præcipue dicturum puto ſevero rigidoque Cenſori Fidei: Euge ſerve bone: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Sicut enim unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant, ita apex unus, aut præteritus, aut appoſitus bonum ceteroqui librum efficere poteſt veneficum & exitialem. Modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit: & præcipuæ hæreſes totæ uno verbo æquivoco, una voce ambigua ſæpe continentur. Quis igitur ſatis commendare poſſit vigilantiam, fortitudinem, conſtantiam Nicolai Ridolfii? quem quum honeſta peterentur, humanum quiſque liberaliſſimumque ſemper nactus eſt; quum vero quidquam, quod vel umbram periculi, aut intemeratæ in Deum Fidei, aut ſinceræ in homines caritatis debitæque humano generi reverentiæ objiceret, nullius preces, nullius nobilitas, nullius unquam potentia, vel auctoritas flectere, aut puncto movere potuerunt. Tales expoſcunt viros magnæ illæ, graveſque Fidei, ac Religionis Præfecturæ; qui Deum unum præ oculis habentes cetera ſuo pretio æſtiment, nempe nihili; omnes enim gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.

Qui

Digitized by Google

Qui vero de religione moribuſque aliorum adeo ſolicitus fuit, quid putandum eſt, eum omiſiſſe, quod vitæ ſuæ, quod conditioni & inſtituto conducere videret? Pietatem ejus in Deum, Superoſque, præter fuſas integris horis precationes, præter Sacra quotidie animi extra apparentis nitore, ac fervore celebrata, præter ſalutis monita ſibi prius inculcata, quam efficaciſſima aliis data, omnibus autem, auliculis præcipue exhibita moderationis, continentiæ, probitatis, gravitatis, ſinceritatis exempla luculentiſſima; præter hæc, inquam, omnia, pietatem ejus teſtantur plurima Templi hujus ornamenta, quæ ei liberaliſſime conceſſit. Nam quam a ſuis jure pecuniam obtinebat uberem quidem, quam ab officiis laboribuſque legitimam ac debitam recipiebat, quam nulla noxa, nullo offenſionis periculo commodis ſuis, dignitati, accipiendis familiaribus & amicis impendere decentiſſime potuiſſet, Deo & Virgini Matri ſacræ hujus Baſilicæ Titulari ac Patronæ libentiſſime conſecravit. Sed qui ab adoleſcentia ampliſſimum patrimonium reliquit, ut Chriſtum lucrifaceret, poſt aurum ſane non abiit Vir religioſus, nec ſperavit in pecunia, & theſauris. Multa huic Cœnobio, cujus erat alumnus & filius, collata ab eo beneficia, plurimis, iiſdemque magno pretio comparatis voluminibus aucta Minervæ bibliotheca, ſua denique omnia nulli relicta, nullo teſtamento, cujus condendi facultatem habebat, obligata, ſed uni Generalis Magiſtri voluntati permiſſa ac tradita teſtimonio ſunt clariſſimo, eum ſuo commune bonum ſemper præpoſuiſſe. contentum quippe magis religioſa paupertate, quam avarus quiſque divitiis ſuis, magis beatum ac felicem vili exiguaque ſupellectili, commmibus pauciſque dapibus, cultu omni corporis parco ac moderato, quam viri famoſi & potentes a ſeculo luxu, voluptatibus, deliciis. Jam vero quis ſatis dicat, quam intentus fuerit omnibus religioſis exercitationibus, quam abhorrens ab omni remiſſione ac relaxatione legum ſuarum, quam aſſiduus ſuppeditandis cœtui univerſo exemplis regularis diſcipline atque obſervantiæ? Sic enim ſtatuebat apud ſemetipſum Vir graviſſimus, ad inſtar ſeniorum vivere juniores, & agere: ut ſi illi paulo a recto tramite deflectant, hi in pejus abeant longeque aberrent. Tanta eſt vis exempli in utramque partem, ut eo magis, quam pravitate ſua mali, boni magis quam legibus omnibus moveantur. Quamquam is eſt Prædicatorum Ordo, ut paulo ante dicebam, in quo poſt ſex fere ſecula nulla ſenectutis veſtigia appareant. Idem qui ab initio fuit, mos veſtium perſeverat, eadem juniorum educatio conſtanſque ac diuturna inſtitutio, eadem a carnibus abſtinen-

nentia, idem vigor diſciplinæ, idem robur doctrinæ, idem lumen veritatis, iidem denique animi, eædem vires ad portandum onus diei & æſtus in excollenda vinea Domini, cujus ei curam culturamque potiſſimum videtur commiſiſſe Eccleſia. Sic ſol eandem nunc lucem vivumque jubar emittit, quod emittere cœpit ineunte primo die ſeculorum.

Felix fauſtuſque Nicolaus Ridolfius, qui ſeſe tempeſtive in tutum hunc portum recepit, ubi longe poſitus a fluctibus ac procellis ſeculi, talenta, quæ ei dederat Deus, multiplicaret. Multiplicaviſſe autem ac theſaurizaviſſe, ubi neque ærugo, neque tinea demoliuntur, ſpe quidem haud incerta ducimur, accepti hinc a vita, inde a morte apertiſſimis indiciis. Quum enim in ſemetipſo reſponſum mortis habuit a Medicis confirmatum, non exclamavit ut ejulans ille ac male perditus: Siccine ſeparas, amara mors? ſed plenus confidentia in Divina bonitate ſereno & vultu, & animo dixit: Ecce venio. Tum recogitavit omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, & generali exomologeſi culpas ſuas eluere multis gemitibus ſategit. Deinde qui toties in vita dixit: Fortitudo mea Dominus, ſenſitque ſemper ex animo nihil fidens viribus ſuis, ſeſe Divino Cibo pie ſancteque refecit, atque corroboravit, ut quod itineris ad æternitatem ſupererat, forti animo proſequeretur, ac perficeret. Mors eſt imago vitæ; ex ejus lineamentis, hujus vultum, faciemque totam facile videmus, & cognoſcimus. Conflixit diutiſſime cum acerbiſſima ægrotatione viſus unice conſolari ſeſe e conſpectu bonorum, quæ Deus præparavit diligentibus ſe, ac pro ſe libenter patientibus. Dum non ab ſimili leucophlegmatiæ tumore diſtenderetur, ae veluti quodam equuleo torqueretur, erumpebant quldem ſuſpiria, ſed amoris in Deum potius, quam doloris ſui indicia. Nunc Deum Patrem totius conſolationis, nunc Matrem miſericordiæ Mariam appellans non minus fiducia, quam humilitate totus niti videbatur, ſolitus quotidie per horam de divinis rebus colloqui cum eo Sacerdote, apud quem pœnitentiæ Sacramento conſcientiam expiaverat. Mirabantur omnes ſingularem viri patientiam. Nullum remedium abjecit, nullam curam improbavit, nullum miniſterium reprehendit, aut conqueſtus eſt. Ex hac forte animi tranquillitate, ſumtiſque fortiter amaris quibuſque pharmacis factum eſt, ut convaleſceret, juberetürque bene de ulteriori vita ſperare. Sed heu! non illum, ſed nos fallaces ſpes noſtræ deceperunt. Nam poſt non longum tempus aut redeuntis, aut latentis morbi impetu a duodecim diebus dejectus recidit. Sunt, quæ facta in primo, & in

hoc

hoc caſu iterata omnia. Acerbus dolor, par dolori patientia: periculum mortis, repetita moribundorum Sacramenta: graves cum graviſſimo morbo conflictus, juges longæque anguſtiæ, auxiliatæ fervidæ preces, opitulati Cælites invocati, & S. Patriarcha Dominicus, quem a puero protexit, non ſane ſuſtinuit relinquere in tempore tribulationis. Quid multa? Mors abrumpit omnia. Tuum, Chriſte Jeſu, dulciſſimum Nomen ſæpe invocans, opem tuam obſecrans, pientiſſima Virgo Maria, heri veluti ſomno correptus animam expiravit, deſiderio ſui apud bonos omnes relicto, præſertim apud Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. qui ei in mortis articulo benedixit dolens æque, atque amans, magnique faciens religioſiſſimi Viri ſapientiam & integritatem.

En Tibi, Nicolae Ridolfi, quo ſcopulo res noſtræ omnes alliduntur, ac tandem perfringuntur. Natus es illuſtri loco, unde primi nobiliſſimæ Patriæ Magiſtratus, unde Duces, Epiſcopi, Cardinales prodierunt. Scientias didiciſti, primas in Ordine tuo cathedras rexiſti, duo munera Romæ præclariſſima adminiſtraviſti: floruiſti honore, gratia, amicitia Magnatum, Principum, Cardinalium, Pontificum: notus fama fuiſti & propinquis & ultimis, ita dicam terrarum receſſibus. Ex his omnibus ornamentis quid ſupereſt Tibi Nicolae Ridolfi? Heu! mutus elinguiſque reſpondes melius, quam voce ipſa faceres, hæc omnia, quæ te momento uno reliquerunt, fuiſſe quammaxime vana atque inania. Te miſerum! Nicolae, ſi bona hæc ſola proſequutus fuiſſes, quæſiviſſes, amaviſſes. Bona hæc furta ſunt futurorum bonorum, niſi conjuncta ſint cum iis, quibus ſane abundaviſti. Obtuliſti enim Te Deo in flore juventutis in Ordine Prædicatorum, nec unquam ullis mundi illecebris ab eo divelli potuiſti. Quas tyro leges, eaſdem Ordinis Magiſter, eaſdem Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici obſervaviſti. Diu noctuque perſolvendis divinis laudibus primus adfuiſti, corpus productis ſtatis jejuniis retentaque perpetuo interioris veſtis aſperitate in ſervitutem redegiſti. Gloriam Dei, decorem Templi, utilitatem Domus Servorum Dei pro virili parte procuraviſti. Omnes, quos potuiſti conſilio, commendatione, auxilio, opibus, negatione ipſa juviſti; volens prudenſque nocuiſti ſane nemini. Diſcipulos tuos, qui plurimi fuerunt, probitate prius, quam doctrina imbuere ſategiſti: omnes autem qui Tibi conjuncti fuerunt, qua ſalutaribus monitis, qua modeſtiæ & frugalitatis exemplis ad ſequendam innocentiam excitaviſti. Epiſcopalem dignitatem recuſaviſti, parem in hoc uno, quinimo majorem, puto, laudem conſequutus, quam ſi accepta optime de mo-

more tuo, diutiſſimeque perfunctus fuiſſes. Poſitus tamen aliunde ad cuſtodiam gregis Chriſti, Fidem Catholicam, bonos mores, publicam tranquillitatem, ut pupillas oculorum tuorum cuſtodiviſti, iiſque qui plus ſapere volebant, quam oportet ſapere, fortiſſime reſtitiſti. Huic vitæ tam laborioſæ, tam illuſtri, tam probæ parem finem heri pientiſſime moriens impoſuiſti. Extremis pene vocibus Fratri illi humillimo ſocio potius tuo, quam famulo peramanter gratias agens, vale dixiſti, modumque præſcripſiſti, quo indui corpus tuum velles poſt obitum, quoque ſepeliri; hiſce nempe pauperibus indumentis, hac humilitate, qua te in feretro jacentem videmus, quaque movemur magis, quam ſi funus tuum auro diſtinctæ veſtes longeque micantes Infulæ colluſtrarent. Hæc ſunt, Nicolae optime, ſunt & alia bene multa huic orationi meæ brevitate temporis erepta, quæ me adduxerunt, ut libens alacriſque ad dicendum de Te accederem. Pro maxima Tuorum in me benignitate in hoc ipſo ſuggeſtu, audiente Te, dixi ante viginti annos in funere Sanctiſſimi Pontificis Benedicti XIII. cujus memoria in benedictione eſt. Dixi hic pariter decem ab annis in exequiis deceſſoris tui Benedicti Zuannelli Viri integerrimi atque humaniſſimi. Poſtulatus ſum ab anno ſeſqui, ut dicendo parentarem Reverendiſſimo Patri Thomæ Ripoll ſumma Ordinis dignitate, nota probitate, longa ætate celeberrimo atque præclariſſimo: aberam Laureti, ægreque tuli mihi abreptum hunc honorem. Quo animo dixi de duobus ſuperioribus, quo de poſtremo dixiſſem, ſi adfuiſſem, eodem de Te dixi, Vir præſtantiſſime, eadem fide ac ſinceritate; eadem enim de Te ſemper fuit æſtimatio mea, eadem nunc ſpes eſt, ac de ceteris, ut eorum ſicuti in terris ſocius laborum fuiſti, ita nunc quoque mercedis ejuſdem particeps eſſe poſſis in Cælis. Fateor, acerba ſunt vulnera Ordinis tui jacturæ virorum Tui ſimilium, ſed quod Fratres tuos noſque maxime conſolari debet, tuus ipſe Ordo eſt, in quo veluti in aprico fertilique agro, eodemque diligentiſſime exculto, ac cuſtodito homines & ſcientiarum ornamentis & virtutis inſignibus clariſſimi alii aliis ſuccedunt perpetuo, aliique ex aliis velut ex parentibus liberi propagantur. Tacere poſſem, niſi nunc vererer vultum, paulopoſt vocem extimeſcerem, modeſtiſſimorum Virorum, quos jam in terram oculos dejicere video: tacere inquam poſſem aut BREMUNDUM noſtrum, qui juſto meritoque regit imperio ſexaginta millia hominum, quique antequam ſuffragiis renunciaretur, jam erat votis omnium cum familiarium, tum exterorum ob prudentiam ſuam, moderationem, doctrinam, humanitatem Generalis Magi-

giſter Prædicatorum? Aut Reverendiſſimum Patrem Ferrettum Procuratorem Generalem, in quem laudes hic congerere idem eſſet, atque aquam in amnem comportare: aut denique primos hoſce Ordinis Socios, Magiſtros, Præfectos, Concionatores, florem nempe ſapientiæ, æquitatis, doctrinæ, religionis? Non tacerem profecto, ſi abeſſent, impuneque facere poſſem. Adſunt autem, Nicolae Ridolfi, ut Tibi extremum hoc pietatis officium perſolvant, adſunt ut mœſto hoc funere, decentiſſimo hoc apparatu, lacrimis, precationibus, Sacrificiis Tibi ſuffragentur. Adſunt Fratres tui omnes, adſumus exteri plurimi, qui abſunt, omnes Tibi poſt longam in miſera hac vita peregrinationem, omnes Tibi poſt innumeros labores pro Ordine tuo, pro communi Eccleſiæ bono, pro litterarum dignitate ſuſceptos, æternam requiem pio, gratoque animo apprecantur. Apprecor ego ipſe, juſſragorque, quantum in me ſitum eſt: & cupio, & cupere puto omnes, quotquot adſunt, ut quum mors adveniet, ſimilis nobis tuæ contingat, quæ non occupet inopinantes & imparatos, ut multis accidere quotidie videmus, & toto animo exhorreſcimus, ſed quæ longam ægrotationem, paremque malo patientiam ſubſequatur. Eæ enim duæ res ſunt, quæ quod in vita admiſſum eſt, poſſint, ſoleantque vel maxime eluere atque expiare.

III. Hactenus Oratio funebris in celebri Templo Sanctæ Mariæ ſuper Minervam habita in laudem Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Fr. Nicolai Ridolfii habita a Viro Clariſſimo P. Bernardo a S. Gulielmo Clerico Regulari Scholarum Piarum, quæ etiam edita fuit Romæ anno MDCCXLIX. ex typographia Hieronymi Mainardi. Cæterum, ut quiſque intelligat, quanti Ridolfium fecerit Regnans feliciter Pontifex BENEDICTUS XIV. conſtat ex authentico ejuſdem Papæ Diplomate, quo multa, & inſignia privilegia Ridolfio conceſſit, quodque nos deſcribendum hoc loco cenſuimus. Neque enim par erat, ut illud a nobis omitteretur, qui Ridolfium ſummopere ſemper dileximus, dum viveret, quique ejus indolis ſumus, ut amicorum vita functorum obliviſci nequaquam poſſimus. Atque hinc eſt, quod ejuſdem in noſtris Sacrificiis memoriam habemus, ſicut & aliorum plurium, quos non eſt opus hic recenſere. Porro Diploma Pontificium Ridolfio datum, ita eſt inſcriptum.

Dilecto Filio Aloyſio, ſeu Ludovico Nicolao Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Familiari noſtro

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Circumſpecta Romani Pontificis gratiarum diſpenſatoris providentia devotos ac fideles ſuos, illos præſertim, qui grata familiaritatis obſequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id propria virtutum merita commendant, honoris & famæ amplioribus præconiis, & præclaris dignitatum titulis decorare & ornare; necnon ſpecialis benevolentiæ favoribus amplecti ſolet, prout perſonarum qualitatibus conſpicit convenire: Hinc eſt, quod Nos ad grata familiaritatis obſequia, quæ Tu, qui Sacri Palatii noſtri Apoſtolici Magiſter exiſtis, ac habitum per Fratres Ordinis Prædicatorum geſtari ſolitum ſuſcepiſti, ac profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam expreſſe emiſiſti regulares, Nobis hactenus impendiſti, & adhuc ſollicitis ſtudiis impendere non deſiſtis, necnon ad vitæ & morum honeſtatem, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus perſonam tuam etiam familiari experientia juvari percepimus, condignam rationem habentes, & propterea eamdem perſonam tuam peculiaris favore gratiæ, ac ſpecialis honoris & excellentis dignitatis titulo ſublimare volentes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, & certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, te in noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ Notarium (ſine tamen præjudicio Dilectorum Filiorum Notariorum de numero participantium) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranenſis Comitem, necnon Auratæ Militiæ Equitem, ac Nobilem Romanum, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionenſis, Bononienſis, Ferrarienſis, & Beneventanæ, omniumque & ſingularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectorum Civem cum omibus juribus, juriſdictionibus, prærogativis, ac inſignibus debitis & conſue-

fuetis creamus & conſtituimus, ac in numerum & conſortium aliorum noſtrorum, & ejuſdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ hujuſmodi Equitum, Comitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, Terrarumque prædictarum referimus & conſcribimus, tibique, ut etiamſi habitum, & Rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxta Decreta Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati non deferas, aut Civitates hujuſmodi non incolueris, nec unquam in eiſdem Civitatibus domicilium habueris, nihilominus omnibus & quibuſcumque privilegiis, facultatibus, exemtionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii noſtri etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citra tamen exemtiones a Concilio Tridentino ſublatas, itaut nedum quoad criminalia, ſed etiam quoad civilia ſubjaceas Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, ſeu Tabelliones creandi, aliaque ſimilia privilegia a Notariis, & Comitibus præfatis prætenſa, itaut illis uti nullibi valeas, ac irritum & inane exiſtat, quidquid ſecus per te attentari contigerit) necnon Cives originarii etiam in Dignitatum, Beneficiorum, ac Officiorum Eccleſiaſticorum, & Secularium, etiam ex perſonis Romanorum Civium originariorum vacantium aſſecutione, & exercitio, tam in Urbe, quam in omnibus & ſingulis Civitatibus præfatis, & alias ubique locorum, & gentium, necnon Seſſionum, & Conventuum utuntur potiuntur & gaudent, ac uti potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter & æque principaliter, acſi privilegia, & facultates, exemptiones, & gratiæ, ac indulta hujuſmodi pro te emanaſſent, uti potiri & gaudere, ac in omnibus & ſingulis Apoſtolicis aliiſque litteris, Inſtrumentis, & ſcripturis publicis & privatis deinceps nomine tuo faciendis, Te Notarium, Comitem, Equitem, & Nobilem, ac de nobili genere ex utroque Parente procreatum, necnon Romanæ, & aliarum Civitatum, Terrarumque præfatarum Civem, prout libuerit, inſcribere, & Te illis ſubſcribere valeas, ac pro vero, & non ficto Notario, Comite, Equite, Nobili, & Cive habearis, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum his ſubſcriptionibus ſubreptitium, aut obreptitium, vel invalidum, ſed illud idem efficax in omnibus cenſeatur. Necnon honoris cauſa inſignia gentis noſtræ ſive integra, ſive cum tuis compoſita geſtare poſſis, prout Tibi placuerit, concedimus, & inſuper te tuaque Beneficia & Officia Eccleſiaſtica quæcumque quotcumque & qualiacumque illorum fructus reditus & jura ubi-

Digitized by Google

cumque Locorum, Regnorum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & Locis, eidem Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectis conſiſtentia prædia, domos poſſeſſiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia & immobilia & ſe moventia, necnon actiones, & jura præſentia & futura cujuſcumque qualitatis quantitatis & naturæ, ac cujuſvis etiam annui valoris fructus reditus & proventus hujuſmodi ſint, vel fuerint, ac etiam quæcumque a te vendenda, & pro tuis, & familiæ tuæ uſibus emenda ab omnibus & quibuſcumque decimis quartis & dimidiis partibus, ſubſidiis etiam caritativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæteriſque oneribus, contributionibuſque tam urbanis, quam ruſticis, ordinariis & extraordinariis, realibus perſonalibus & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuſcumque generis tranſitus, ſeu paſſus, & vecturæ etiam in aliud territorium ſeu Provinciam terra mari & flumine, necnon equorum mortuorum, ſtabulationum militum, inſtitutionis Seminarii Eccleſiaſtici, aut quacumque alia quantumvis gravi & graviſſima cauſa (pro ſubventione contra Infideles dumtaxat excepta) nunc & pro tempore impoſitis, ita quod Tu nihil omnino horum, aut aliorum ſimilium ſubire tenearis, nec per Cameræ Apoſtolicæ, aut alios Commiſſarios, ſeu Vectigalium & tributorum hujuſmodi redemtores, conductores, & exactores quocumque privilegio exemtione & facultate ſuffultos alias quam, ut ptur, valeas coarctari, quamdiu ſervitiis noſtris exțiteris dumtaxat eximimus & liberamus. Ad hæc, tecum ut quandocumque duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum, etiam Collegiatarum conſiſtentia, etiamſi unum ex illis omnibus cum cura, aut Dignitas etiam major & principalis, Canonicatus & præbenda, Perſonatus, Adminiſtratio, vel Officium fuerit, & ad Dignitatem, Perſonatum, Adminiſtrationem, vel Officium hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura etiam juriſdictionalis immineat animarum, ſi tibi alias Canonice conferantur, aut Tu eligaris, præſenteris, vel alias aſſumaris ad illa, & inſtituaris in eis recipere, & dummodo illa omnia, uno excepto, perſonalem reſidentiam non requirant, inſimul quoad vixeris retinere, necnon etiam quamdiu Nobis inſervieris tantum, in Beneficiis Eccleſiaſticis etiam curatis, non tamen Parochialibus, nec curatis cum cura animarum

rum Parochianorum, per te pro tempore obtentis, etiam de jure ſtatuto, vel fundatione, ſeu privilegio perſonalem reſidentiam requirentibus, etiamſi Dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis poſt Pontificalem majores, ac Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, perſonaliter reſidere non tenearis, nec per Locorum Ordinarios, aut Eccleſiarum earumdem Capitula, ſeu quoſvis alios ad reſidendum interim in illis invitus compelli poſſis, omneſque & ſingulos nihilominus tuorum beneficiorum obtentorum fructus reditus & proventus, durante ſervitio præfato, cum integritate (diſtributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperes, ſi in eiſdem Eccleſiis perſonaliter reſideres, percipere exigere & levare, ac interim, licet ſis Presbyter, ac Dignitates, & Officia obtinueris, Leges, & jura civilia etiam publice in Scholis, & Univerſitatibus ſtudiorum generalium ad quinquennium dumtaxat (dummodo trigeſimum tuæ ætatis annum non exceſſeris) audire, & ſi habilis & idoneus repertus fueris, etiam ad Doctoratus gradum in hujuſmodi facultate te promoveri facere, dictaque jura etiam publice docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in cauſis Eccleſiaſticis & Civilibus tantum exercere libere & licite poſſis & valeas, auctoritate & tenore præfatis de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Liceat quoque tibi aliquem idoneum & approbatum ab Ordinario Presbyterum ſecularem vel cujuſvis ordinis regularem in tuum eligere Confeſſorem, qui vita tua comite te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, & per te incurſis, & quibus te etiam Apoſtolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamſi abſolutio a Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus ſpecialiter vel generaliter reſervata exiſtat, & quorumcumque Votorum, & Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſionibus, homicidio caſuali, manuum violentarum in quaſvis perſonas etiam Eccleſiaſticas (non tamen Epiſcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, ſeu conſilii vel favoris ad id præſtationibus, jejuniorum omiſſionibus (non tamen recitationis horarum canonicarum, aliorumque Divinorum Officiorum) & denique ab omnibus & quibuſcumque aliis tuis peccatis, criminibus, & exceſſibus, ac delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes Apoſtolica merito conſulenda foret, videlicet a contentis in literis die Cœnæ Domini publicari conſuetis, ſemel tantum in vita, & mortis articulo, in reliquis vero dictæ Sedi

Digitized by Google

di quomodocumque reſervatis, aliiſve quibuſvis caſibus ſemel in anno confeſſionibus tuis diligenter auditis, ſine tamen alicujus præjudicio, auctoritate Apoſtolica abſolvere, & tibi pro commiſſis pœnitentiam injungere ſalutarem; Necnon vota quæcumque (Ultramarino, viſitationis Liminum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Caſtitatiſque, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat. Tibique ulterius, ut quicumque loci Ordinarius, vel Canonicus Metropolitanæ, aut alterius Cathedralis Eccleſiæ, aut Perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, tam in dicta Curia, quam extra eam ad id per te coram Notario, & teſtibus fide dignis eligendus, vel eligenda quaſcumque penſiones annuas tibi ſuper Menſarum Abbatiarum, ſeu Capitularium, ac Epiſcopalium, & Archiepiſcopalium, & quorumcumque aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura & ſine cura ſecularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum regularium, etiam Hoſpitalis Sancti Johannis Hieroſolymitani quomodocumque & qualitercumque qualificatorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus & quotidianis, ſeu illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta tibi nunc & pro tempore aſſignata & reſervata, ac aſſignanda & reſervanda pro ſumma videlicet trecentorum ducatorum auri de camera quandocumque tibi placuerit ſimul, vel ſucceſſive, in toto, vel in parte, etiam in mortis articulo caſſare & extinguere, & poſtquam caſſatæ & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, diſtributionibus, & emolumentis, ſeu illorum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta hujuſmodi uſque ad ſummam & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis perſonis a te nominandis, etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus Clericis, ſeu Clericali charactere inſigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, ſeu eorum Procuratoribus ad id ſpeciale ab eis mandatum habentibus iiſdem modo & forma, quibus tibi aſſignatæ & reſervatæ, ſeu aſſignata & conceſſa fuerint reſpective, etiam abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium, etiamſi illas, vel illa alias caſſari & reſervari, & de novo facien facultatem non habueris, ac penſiones, & fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, & diſtributiones, ac emolumenta hujuſmodi etiam pluries caſſata, & de novo aſſignata fuerint, uſque ad ſummam & quantitatem præfatam, etiam literis Apoſtolicis ſuper reſer-

Digitized by Google

ſervationibus hujuſmodi non confectis, & alias cum omnibus & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clauſulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam cenſuris, & pœnis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis & contentis, necnon cum ſubrogationibus in quibuſvis tuis juribus, etiam quoad quaſi poſſeſſionem exigendi in qua tunc eris integre perſolvendas, ſervata tamen forma Conſtitutionis fel. record. Innocentii PP. XI. Prædeceſſoris noſtri ſuper translationibus penſionum editæ, reſervare conſtituere & aſſignare valeas, auctoritate & tenore præfatis de ſpeciali gratia indulgemus. Necnon etiam tibi, ut de omnibus & ſingulis domibus, prædiis, poſſeſſionibus, terris, & locis, ac juriſdictionibus, cæteriſque bonis mobilibus & immobilibus, quæ tamen non ſint Altaris, ſeu Altarium Eccleſiarum tibi commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali earumdem Eccleſiarum divino cultui, ſeu uſui deputata, ſeque moventibus cujuſcumque qualitatis, quantitatis, valoris, ſpeciei, pretii, & conditionis exiſtentibus, ac juribus, & actionibus ad te ratione Eccleſiarum etiam Cathedralium, & Metropolitanarum quibus te præeſſe forſan contigerit, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura & ſine cura ſecularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quæ ex quibuſvis conceſſionibus & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum, commendam, aut adminiſtrationem, ac alias quomodolibet obtinueris, obtines, & obtinebis in futurum, ac fructuum, redituum, & proventuum Eccleſiaſticorum loco penſionum, ipſarumque penſionum annuarum ſuper ſimilibus fructibus reditibus & proventibus tibi reſervatorum & aſſignatarum, ac reſervandorum & aſſignandarum quos & quas perceperis, percipis, & percipies in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ Officiorum, ac alias quomodolibet ſpectan & pertinen, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, reditibus, & penſionibus annuis, necnon tua induſtria & labore quomodolibet & undecumque licite tamen acquiſitis, & acquirendis, ac alias etiam de muneribus, & Officiis, quæ exercueris, & quæ te exercere contigerit, & alia quavis occaſione, vel cauſa, ſeu contemplatione ad te perventis, & perventuris, etiamſi in pecunia numerata, & jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus conſiſtant, tam in dicta Curia, quam extra eam ubique locorum, etiam penes Beneficia ipſa exiſten, quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamſi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum &

& ſupellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, præſentibus, ac ſi ſpecifice & ſingillatim exprimerentur & denominarentur, pro ſufficienter expreſſis ac declaratis haberi volumus, uſque ad ſummam ſex millium Ducatorum auri de Camera, ac etiam de Ipſis fructibus reditibus proventibus ac penſionibus debitis & debendis, ſervata tamen forma Conſtitutionum Apoſtolicarum jam editarum, & ſi quas deinceps edi contigerit ſuper fructibus inexactis, etiam cumulative cum quibuſvis aliis ſimilibus, vel diſſimilibus facultatibus habitis & habendis, tam pro honeſtis & decentibus impenſis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui tibi viventi inſervierint, etiam ultra ſervitii meritum, ac in tuorum Conſanguineorum, ac Affinium, ac quorumcumque locorum piorum favorem & uſum, & alias pro arbitrio & voluntate tuis, abſolutis, teſtari, & teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, legatis, donationibus tam inter vivos, quam cauſa mortis, & aliis quibuſcumque modis, ac titulis, ſcriptura etiam minus ſollenni coram duobus vel tribus teſtibus, aut etiam ſchedula ſola manu tua ſcripta, vel ſubſcripta, & alias in omnibus & per omnia prout & quemadmodum tibi videbitur, etiam in ipſa curia, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præſentis, vel aliarum tibi pro tempore conceſſarum facultatum ſimilium, aut quod in vim illarum teſtari, vel diſponere velis & intendas, ſemel atque iterum aut pluries diſponere ſtatuere & ordinare, itaut quidquid teſtatum geſtum aut ordinatum, ſeu alias a te diſpoſitum fuerit, etiam in vim ſimplicis diſtributionis, & alias omni meliori modo valeat, & ſervari debeat, ipſaque teſtamenta, codicillos, diſpotiones, ordinationes, legata, & ſtatuta pluries, ac toties quoties tibi videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere libere & licite valeas, auctoritate Apoſtolica earumdem tenore præſentium plenam & liberam concedimus facultatem. Et inſuper ſtatuimus & ordinamus, tibique indulgemus, quod ſi tu ab inteſtato, & ſine ulla vel cum minus valida bonorum & rerum ac fructuum redituum & proventuum prædictorum diſpoſitione in dicta Curia, vel extra eam tam continua, quam interpolata tua manſione, ac etiam extra tua Beneficia, vel alia loca debitæ a te reſidentiæ perſonalis, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, ab humanis decedas, omnia & ſingula res, & bona, ac jura, etiam, ut ptur, qualificata, necnon ſpolia cujuſcumque quantitatis & valoris, etiam ex præfatis, vel alias undecumque provenientia ad Cameram Apoſtolicam, ſeu in dictis Beneficiis ſucceſſores non pertineant, ſed ad hæredes tui

ſan-

Digitized by Google

ſanguinis integre deveniant, & illis deficientibus, inter familiares tuos arbitrio perſonæ, ſeu perſonarum, quas ad id ſcripto nominaveris, diſtribuantur, niſi de alia diſpoſitione, vel intentione tua ſcriptura etiam minus ſollenni ſecus appareret, quam tunc velut efficacem ipſæ perſonæ, ſeu alii Judices, ſeu Executores omnino exequi & adimplere, illique ſe conformare in omnibus & per omnia debeant, & nihilominus quæcumque hujuſmodi teſtamenta, legata, donationes, diſpoſitiones, & alia forſan a te etiam nulla, vel minus ſufficienti facultate ſuffulto de hujuſmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliiſque rebus ſupradictis in favorem Conſanguineorum, & Affinium prædictorum, ac alias quomodolibet facta cum omnibus inde ſecutis, ac etiam ea, quæ per te in futurum fient, ex nunc prout extunc, & e contra, pro dicta ſumma ſex millium ducatorum hujuſmodi approbamus & confirmamus, omneſque & ſingulos juris, & facti, ac ſollennitatum omiſſarum & omittendarum, necnon ſubſtantiales, alioſque defectus quoſcumque, ſi qui intervenerint, ſeu intervenerunt in eiſdem, etiamſi tales ſint, vel fuerint, quod ſpecialis ſpecifica & expreſſa de illis mentio præſentibus habenda eſſet, ſupplemus, diſtrictius inhibentes quibuſvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Prælatis, necnon Cameræ præfatæ præſidentibus Clericis, ac eorum, necnon Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, Subcollectoribus, cæteriſque cujuſcumque Dignitatis ſtatus gradus & conditionis exiſtentibus, etiam quavis auctoritate & poteſtate fungentibus ſub Excommunicationis majoris, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ne Univerſitates, Collegia, & Loca, ac Legatarios, Hæredes, & Perſonas, necnon teſtamentorum voluntatum & ordinationum hujuſmodi Executores ſupradictos directe vel indirecte, quovis quæſito colore vel ingenio moleſtare audeant quoquo modo, vel perturbare. Ac decernentes prædicta omnia & ſingula, præſenteſque literas, & teſtamenta, donationes, codicillos, fideicommiſſa, legata, ordinationes, derogationes, diſpoſitiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmiſſis facta ſunt, aut fieri contigerit tam vigore præſentis, quam etiam aliarum tibi factarum conceſſionum, & deinceps in genere, vel in ſpecie faciendarum cum inde ſecutis, & ſecuturis, etiamſi te intra Curiam, aut in quacumque alia Mundi parte extra Eccleſias, & Beneficia perſonalem reſidentiam requirentia qualitercumque qualificata per te nunc & pro tempore obtenta, etiam pro tua ſola voluntate, & nulla ſub-

Digitized by Google

ſiſtente cauſa non reſidendi, ab humanis decedere contigerit, ſub literis rec. mem. Pii PP. IV. Prædeceſſoris noſtri contra quoſcumque Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectores, cæteroſque reſidentiæ perſonali præſatæ adſtrictos extra illam quomodocumque decedentes VII. kal. Decembr. Pontificatus ſui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, ac ſub quibuſcumque aliis Conſtitutionibus, aut revocationibus, diſpenſationibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apoſtolicis, Cancellariæ Apoſtolicæ regulis ex quibuſvis cauſis quantumcumque maximis urgentibus & inexcogitabilibus, etiam in favorem Fidei, & Divini cultus augumentum, & Conſiſtorialiter etiam a Nobis, & Sede prædicta hactenus, vel nunc & pro tempore factis & editis minime comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum, ac etiam ſub poſteriori data, etiam cum derogationibus & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis decretis per ſe eligen, apponen, & latiſſime ſpecifican, repoſita, reſtituta, & plenarie reintegrata, ac de novo conceſſa, validaque & efficacia fore, necnon perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus, quos de jure, ſtylo. & conſuetudine, aut alias quomodolibet ſortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, ſtipulati, validi, & efficacis contractus inter te ex una, ac Nos, & Cameram prædictam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Eccleſiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam ſtatus & perſonæ tuæ mutationem ceſſare, nec per ſimiles vel diſſimiles gratias tibi conceſſas, & concedendas confundi, ſed ipſis cumulative in omnibus & per omnia uti, & ſi quid in una ex facultatibus hujuſmodi defecerit, per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca ad quos, ſeu quæ bona jura & actiones hujuſmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores prædictos ad tertiam ſeu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc tibi, ac locis, hæredibus, Legatariis, ac Donatariis præfatis liberaliter concedimus & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut Beneficiis præfatis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibuslibet aliis quantumvis piis uſibus ſolven, aut cum eis deſuper componen, vel te ad aliam particularem licentiam, ſeu indultum, aut confirmationem præſentium a Nobis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus peten, aut impetran, vel etiam in alia ſimili gratia, ſeu confirmatione illius tibi quomodocumque concedenda de præſenti mentio-

tionem aliquam facien ullatenus teneri, nec ad id ulla unquam neceſſitate cogi poſſe. Et ſic in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ejuſdem S. R. E. Cardinales, necnon pro tempore exiſtentes dictæ Cameræ Camerarium, ac Præſidentes Clericos in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtien, & Portuen Cardinalibus Epiſcopis, ac dilecto Filio Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus motu ſimili, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte tua deſuper fuerint requiſiti ſollenniter publicantes, tibique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac te illis omnibus pacifice frui & gaudere, non permittentes, te per quoſcumque quavis auctoritate fungentes contra earumdem præſentium tenorem quomodolibet indebite moleſtari inquietari vel perturbari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportnna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſugitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum, Eccleſiaſticum apponendo, & quatenus opus ſit, invocando auxilium brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus diætis, dummodo ultra tres diætas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, necnon Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati de certo Notariorum numero, etiamſi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias non intendimus derogare, ac de conſenſu præſtando in penſionibus, & quibuſvis aliis etiam per Nos, & Sedem præfatam editis, & impoſterum, edendis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac ſtylo in ſimilibus hactenus obſervato, ac rec. mem. Alexandri PP. VI. etiam Prædeceſſoris noſtri tertiam partem bonorum Eccleſiaſticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia diſponen, necnon ejuſdem Bonifacii PP. VIII. per quam conceſſiones fructus in abſentia percipiendi ſine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac piæ mem. Pii PP. IV. Prædeceſſoris pariter noſtri de gratiis qualecumque in-

tereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernen , in dicta Camera intra certum tunc expreſſum tempus præſentan , & regiſtrandis , ita quod præſentes in eadem Camera nullo unquam tempore regiſtrari facere tenearis , ac ſimilis mem. Urbani PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri de penſionibus alias translatis iterum non transferendis , ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum , & quibuſvis aliis Apoſtolicis , ac in Univerſalibus , Provincialibuſque , & Synodalibus Conciliis editis generalibus , vel ſpecialibus Conſtitutionibus , & Ordinationibus , necnon legibus etiam Imperialibus , & Municipalibus tam Urbis , quam aliarum Civitatum , & Locorum in quibus tu Civis originarius creatus exiſtis , & quarumvis Eccleſiarum , Monaſteriorum, Ordinum, & Hoſpitalis prædictorum , necnon quorumvis Collegiorum , & Officiorum dictæ Curiæ , & Regnorum , Provinciarum , & Urbis, ac aliarum Civitatum , & Locorum , ac Cameræ prædictorum , etiam juramento , confirmatione Apoſtolica , vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis , & conſuetudinibus , ſtabilimentis , uſibus & naturis , etiamſi de illis ſervandis , & non impetrandis literis Apoſtolicis contra ea , nec etiam ab alio , vel aliis impetratis , aut alias quomodolibet conceſſis utendo, Tu per te, vel Procuratorem tuum præſtiteris forſan hactenus , vel te impoſterum præſtare contigerit juramentum , privilegiis quoque , indultis , & literis Apoſtolicis dictis Eccleſiis , Monaſteriis, Ordinibuſque , & Hoſpitalibus , illorumque Præſulibus , Rectoribus , Superioribus , ac Magiſtris , Præceptoribus , Prioribus , Militibus etiam antianis , Capitulis , Conventibus , Civitatibus , & locis, aliiſque præfatis , ac illorum Communitatibus , & Univerſitatibus , aliiſque perſonis etiam particularibus , necnon Archiepiſcopis , Epiſcopis , & aliis Ordinariis , etiam eiſdem Cardinalibus , ac dictæ Curiæ Officialibus , illorumque Collegiis , ac etiam decimarum , pedagiorum, gabellarum , & onerum Exactoribus , & Appaltatoribus , & aliorum onerum redemptoribus , ſub quibuſcumque tenoribus & formis , ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis , aliiſque efficacioribus efficaciſſimis & inſolitis clauſulis , irritantibuſque & aliis decretis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros , ac etiam Nos , & Sedem prædictam , etiam Conſiſtorialiter , ac de eorumdem Cardinalium conſilio , etiam per modum ſtatuti , & conſtitutionis perpetuorum , ac motu , & ſcientia ſimilibus , & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine , vel ad Imperatoris , Regum , Reginarum , Ducum , Marchionum , & aliorum Principum inſtantiam , ſeu illorum contemplatione in genere

vel

vel in ſpecie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, etiamſi in eis, ac ſtatutis, & ſtabilimentis præfatis caveatur expreſſè vel tacite, quod Urbis niſi Originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum Eccleſiarum Beneficia, niſi per perſonas Illuſtres vel Nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expreſſo qualificatos obtineri non poſſint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum hujuſmodi admitti, ſeu illorum privilegiis uti poſſint, niſi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis per certum tempus habitaverint, ſeu in illis etiam bona, etiam ſtabilia, etiam ad certum valorem aſcendentia poſſederint, quodque Præceptoriæ, & alia Beneficia quæcumque dicti Hoſpitalis, tam ex ejus inſtitutione, quam ex ſtabilimentorum prædictorum diſpoſitione, penſionibus Clericis ſecularibus, & aliis perſonis, etiam auctoritate Apoſtolica reſervandis, gravari non poſſint, quodque ſtabilimentis, ac privilegiis præſentis, etiam vigore implicitæ derogationis latiſſime extenden, etiam per quaſcumque literas Apoſtolicas, & quaſvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores & inſolitas clauſulas derogari non poſſint, nec derogatum cenſeatur, niſi derogatio hujuſmodi de conſilio Cardinalium eorumdem fiat, & tunc demum Magiſtri, & Conventus prædictorum ad id accedat aſſenſus, ſintque literæ derogationis hujuſmodi etiam per dictum Magiſtrum ſubſcriptæ, ac illi, & prædicto Conventui per diverſas in ſimili forma Brevis, aut alias literas diverſis temporibus cum certis intervallis præſentatas intimatæ, & non alias, nec alio modo, & ſemper in omnibus, quæ ſic fient, etiam de ſimili conſilio derogationibus, ſit appoſita clauſula, quod illarum effectum ſortiantur de conſenſu Magiſtri, & Conventus prædictorum, & non alias, nec alio modo: Quodque ipſi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujuſmodi etiam ab exemtis exigere, & illos ad ſolutionem, ſeu contributionem cogere, & compellere poſſint, ſeu debeant. Quibus omnibus illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis haben, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat in genere, vel in ſpecie ad effectum præſentium ſufficienter & expreſſè derogamus. Quodque Tu primam non feceris in Eccleſiis hujuſmodi perſonalem reſidentiam conſuetam, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod antequam gratia creationis in noſtrum & Sedis præfatæ Notarium tibi, ut ſupra, facta frui valeas, in manibus alicujus perſo-

næ

næ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ profeſſionem Fidei juxta articulos pridem a Sede præfata propoſitos expreſſe emittere, & ſolitum fidelitatis juramentum præſtare omnino tenearis. Quodque præſentium Tranſumtis ſeu Exemplis etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die I. Septembris MDCCXL. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Pro D. Cardinali Paſſioneo
Cajetanus Amatus.

C A P. LXIX.

De Reverendiſſimo Patre Fr. Joſepho Auguſtino Orſi.

I. VEnio tandem ad eum, qui nunc eſt Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, Reverendiſſimum Patrem Fr. Joſephum Auguſtinum Orſi, ex Secretario Sacræ Congregationis Indicis electum a feliciter Regnante Pontifice Maximo BENEDICTO XIV. Sacri Palatii Magiſtrum, in locum Ridolfii, de quo in Capite præcedenti diximus, ſuffectum die XXVII. Aprilis anno MDCCXLIX. Hic quum Grammaticam, Rhetoricam, & Philoſophiam Florentiæ apud Patres Societatis Jeſu didiciſſet, veſtem induit Ordinis Prædicatorum Feſulis in Cœnobio Sancti Dominici, quod pertinet ad Florentinam Sancti Marci Congregationem, anno MDCCIX. Confecto Studiorum curſu, biennium Philoſophiam, & deinde plures annos Theologiam ſumma cum laude, & ingenti diſcipulorum progreſſu docuit in celeberrimo S. Marci Cœnobio, ubi viget ejuſdem Congregationis Studium, ut vocant, Generale. Quum anno Domini MDCCXXX. eidem Cœnobio præeſſet, multos præſtantes ingenio juvenes in Ordinem cooptavit, quorum unum memorabo Amicum noſtrum F. Thomam Mamachium Collegii Caſanatenſis Theologum, Virum undequaque doctiſſimum, ac celebrem editione doctiſſimi, atque immenſi Operis, *De antiquitatibus Chriſtianis*.

II. Eo-

II. Eodem ferme tempore, cum Pontifex Maximus electus eſſet Cardinalis Laurentius Corſinius, qui Clemens Papa XII. dictus eſt, ejus Nepos Nerius Cardinalis Corſinius Urſium Romam aſcivit, ſuumque Theologum dixit. Degebat autem in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam, ubi anno MDCCXXXII. Cathedraticus Caſanatenſis eſt factus, Summamque Theologicam S. Thomæ in eo Collegio docte atque erudite explicavit ad annum uſque MDCCXXXVIII. quo Nicolaus Ridolfius, qui Secretarius Sacræ Congregationis Indicis erat, ab eodem Clemente creatus Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter fuit, & Urſius eidem juſſus eſt in Indicis Congregatione ſuccedere. In eo munere perſeveravit ad annum uſque MDCCXLIX. quo, mortuo Ridolfio, a Papa BENEDICTO XIV. qui feliciter regnat, factus eſt Magiſter Apoſtolici Palatii.

III. Inter has occupationes, & munera, nunquam a ſcribendo ceſſavit. Nam primo edidit Librum inſcriptum: *Diſſertazione Dommatica e Morale contro l'uſo materiale delle parole*. Romæ MDCCXXVII.

Diſſertationem Apologeticam pro SS. Perpetuæ Felicitatis & Sociorum Martyrum Orthodoxia contra Samuelem Baſnagium, qui in ſuis Annalibus hos Martyres Montaniſtarum partibus addictos fuiſſe contenderat. Eandem Sententiam ſecuti fuerant Auctores Actorum Eruditorum Lipſiæ, qui nihilominus hujus Diſſertationis optimum ſpecimen in ſuis Actis ediderunt. 4. Florentiæ MDCCXXVIII.

Poſt cum Anonymi quidam opinionem Caroli Ambroſii Cattanei, *De uſu Materiali verborum*, defendendam ſuſcepiſſent, Urſius ſuperiorem Diſſertationem defendit, alteramque edidit hoc Titulo: *La cauſa della Verità ſoſtenuta contro l' Anonimo Apologiſta del P. Carlo Cattaneo*. 4. Mediolani. Deſcripſit quoque Librum, cui Titulus: *Dimoſtrazione Teologica &c.* 4. Mediolani MDCCXXIX.

Sunt aliæ quatuor ab eo ſcriptæ Diſſertationes, quarum prima: *De Capitalium criminum abſolutione per tria priora Eccleſiæ ſecula*. Cujus mentionem faciunt Acta Eruditorum Lipſiæ. 4. Mediolani MDCCXXX. Altera, *De Invocatio-*

Digitized by Google

tione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum, & Orientalium. 4. Mediolani MDCCXXXI. Tertia, *De Baptiſmo in Nomine Chriſti, & de hæreticis, qui Baptiſmi formam adulterarunt.* 4. Mediolani MDCCXXXIII. Hanc defendit ſcripto Libro, cui Titulus: *Vindiciæ Diſſertationis de Baptiſmo in Nomine Chriſti a Sorbonici Doctoris objectis.* 4. Florentiæ MDCCXXXV. Quarta eſt, *De Chriſmate Confirmatorio.* 4. Mediolani MDCCXXXIII.

Scripſit deinde *de Petri a Soto, & Sudoci Raveſteyn de Concordia gratiæ, & liberi Arbitrii cum Ruardo Tappero Epiſtolari diſputatione Librum Apologeticum, quo Soti doctrina a recentis hiſtorici cenſuris vindicatur.* 4 Romæ MDCCXXXIV.

De Irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei Controverſiis Auctoritate, volumina tria edidit Romæ anno MDCCXXXIX. itemque alia duo, *De Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas, earumque Canones poteſtate.* Ibidem MDCCXL.

Hujus Operis compendium concinnavit, atque edidit hoc Titulo: *Dell'Infallibilità, e dell'Autorità del Romano Pontefice ſopra i Concilj Ecumenici* Tom. II. in 12. Romæ MDCCXLII.

Huic acceſſit: *Dell'Origine del Dominio e della Sovranità temporale de Romani Pontefici.* 12. Rom. MDCCXLII.

Scribit nunc idem doctiſſimus Auctor varios Tomos, quibus Eccleſiaſticam Hiſtoriam Italico Idiomate enarrat, editique ſunt jam Tomi VIII. in 4. ſummo plauſu excepti, ut iccirco opus fuerit aliam ejuſdem Operis editionem adornare in 12. quo multorum deſiderio fiat ſatis, qui Hiſtoriam ipſam eruditione mirabili, atque inſigni pietate refertam expetunt.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google